35 - 5 - F - 4

157
2

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO, DOMINO SCIPIONI S. R. E. CARDINALI BVRGHESIO PATRONO COL^{mo}.

IOANNES PEDREZZANVS felicitatem.

EDITVS eſt nõ multis ab hinc menſibus, Cardinalis ampliſsime, quidam libellus, nullo neque auctoris, neque impreſſoris nomine adſcripto in quo de cenſuris à S^{mo}. D. N^{o}. contra Venetos ob mortalem illam contumaciam promulgatis perinde diſputatur, ac ſi iniuſtæ, nullæ, in aqua, vel in aere fundatæ eſſent, atque interim multa admiſcentur, quæ non modo falſa, ſed hære-

tica & Catholicæ fidei contraria ſunt. Huius ego rei indignitate permotus facere non potui, quin ſingulas peſtiferi, ac pernicioſiſsimi libelli propoſitiones, quã potui breuiſsime refutarim. Hunc primũ laborum meorũ fœtum, quem unius veritatis, Religionis, pietatis, & fidei Catholicæ tuendæ gratia in publicum prodire deſidero, ut ſub præclariſſimi, ac glorioſiſsimi nominis tui patrocinio in lucem edi patiare & maxime cupio, & quam humillime rogo. Et ſane cum rem ipſam, quæ de agitur, conſidero, vt id me conſecuturum ſperem nõ difficulter inducor. Etenim, cum hoc mihi propoſitum fuerit, vt oſtenderem Venetos, cum ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem condiderunt, & eccleſiaſticas perſonas in carcerẽ truſerunt, mortifere peccaſſe, ac propterea iuſtè, ſanctè & neceſſariò à S^mo. Domino No. Paulo quinto paterne correctos, & vt ſtatuta huiuſmodi abrogarẽt, eccleſiaſticasq; perſonas è carceribus liberarẽt, monitos, ac tandem quia contumaces fuerunt, excommunicatos, & alijs eccleſiaſticis ſententijs irretitos fuiſſe, non video neq; cui labor huiuſmodi iuſtius, & congruentius dicari, neq; qui eũ libentius

tius

tius amplecti, fouere, & protegere poſſit, quam qui eiuſdem S^mi. Domini Noſtri nepos ſit, quique ab eodem non ſolum auguſtiſſima & ſacroſancta Cardinalatus dignitate inſignitus, ſed ſummæ etiam rerum omnium, quæcunque ad Chriſtianam Rempublicam pertinent, ſumma cum omnium mortalium approbatione præpoſitus fuerit, qui denique, egregias illas, & plane heroicas eiuſdem S^mi. Domini Noſtri Virtutes, Iuſtitiam, Pietatem, Religionem, Innocentiam, ac morum ſanctitatem ita præclare imitatur, ita ſtudioſe conſequitur, vt cum maximam in prima eius iuuentute poteſtatem, maximamque peccandi licentiam nactus ſit, maximam tamen vitæ integritatem, ſingularem morum caſtitatem, incredibilem rerum omnium moderationem, eximiam, ac prope diuinam in omnes omnium ordinum homines facilitatem ſeruet, ac tueatur. Hæc ſunt Cardinalis optime, ac præſtantiſſime, quæ mihi ſpem faciunt, quæque, me voti mei compotem fore quaſi pro certò promittunt. Hæc ſi me ſpes non feſellerit, & maximo me munere cumulatum fuiſſe

putabo, & ad reliqua eiuſdem generis: Venetos enim à via mala non recedere audio: refutanda multò alacrius, multoque promptius accedam. Quod reliquum eſt, faxit Deus, ut te incolumem, florentem, ac fortunatum quam diutiſsime videamus. Pragæ XVI. Kal. Septemb. anni 1606.

PIO

PIO ET RELIGIOSO LECTORI.

CVM Dux & Senatus Reipublicæ Venetorum diuerſa decreta ſeu ſtatuta ſedis Apoſtolicæ auctoritati, & eccleſiaſticæ libertati, ac ĩmunitati contraria feciſſent, perſonaſq; eccleſiaſticas in carceres conieciſſent, Smus D. Noſter Dominus Paulus diuina prouidentia Papa quintus pro ea ſingulari pietate, & caritate, qua Chriſtianos omnes, & præſertim Principes complectitur, paterne ac ſæpius quidem admonuit memoratos Ducẽ, & Senatum, vt ſtatuta huiuſmodi reuocarent, eccleſiaſticasque perſonas è carceribus liberarent. Porro paternis his, & pijs admonitionibus tantum abfuit, ut Dux & Senatus præfati moti fuerint, ut etiam peiores facti non modo ſtatuta illa non reuocarint, perſonaſque non liberarint, verum etiam poteſtatem ſimilia faciendi ſibi à DEO immediate tributam fuiſſe affirmare, ac pertinaciter defendere cœperint.

Quare idem ſummus Pontifex ad ea remedia deſcẽdere coactus fuit, quibus alij ſanctiſſimi Pontifices illius præceſſores in ſimilibus negotijs & præcipue contra Venetos ipſos uſi fuerunt, quibuſque ſacri Canones, & generalia Concilia vtendum præcipiunt. Venetis videlicet certũ terminum ad ea ſtatuta abroganda, ad perſonas eccleſiaſticas è carceribus liberandas præſtituit, ac ſi intra illum non reuocaſſent, & liberaſſent, excommunicationis, & aliarũ cenſurarum, & ſententiarum eccleſiaſticarum pœnam ipſo facto incurrendam comminatus fuit, & ex tunc ſi nõ reuocaſſent, & liberaſſent, excommunicatos, declarauit, & denunciauit.

Veruntamen Dux & Senatus ijdem excommunicationis & aliarum cenſurarum comminationem nihilo

pluris

pluris fecerunt, quam paternas ſummi Pontificis admonitiones antea fecerant, ſeſeque excommunicatione, & alijs cenſuris illigari paſſi ſunt.

Quoniam autem timuerunt, ne illorum populi, qui diuina gratia Catholici ſunt, ac ſub obediētia ſanctæ Rom. eccleſiæ viuunt, ac viuere intendunt, cenſuras ſummi Pontificis ea reuerentia, & obſeruantia exciperent, qua ab omnibus Chriſti fidelibus excipi, atque obſeruari debent: Conſilium quoddam ceperunt, quod certe ab ea prudentia, grauitate, Religione, & pietate, qua Reſpublica Veneta à multis commendatur, valde alienum eſt.

Nam non modo in ſuis, ſed etiam in alienis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ prouincijs, ac alibi etiam fortaſſe libellos quoſdam partim Latino, partim Italico ſermone cōſcriptos diuulgandos curarunt, quibus allegatis nonnullis ſacræ ſcripturæ locis male, & perperam intellectis, necnon citatis quorundam doctorum opinionibus perſuadere nituntur ſummum Pontificem nullo iuſto titulo ad illorum excommunicationem deſcendiſſe, ſeſeque ſupremam auctoritatem etiam ſupra perſonas eccleſiaſticas à Deo immediate accepiſſe, talemque ſupremam poteſtatem à maioribus ſuis contra ipſas perſonas eccleſiaſticas ſcientibus, & approbantibus ſummis Pontificibus in uſu poſitam fuiſſe.

Inter libellos autem, qui ab illis editi ſunt, vnus eſt, qui ſermone Italico ſcriptus inſcribitur. Reſpōſum cuiuſdā Doctoris in Theologia ad literas ei ſcriptas à quodam Reuerendo illius amico, ſuper breui cenſurarum à ſanctitate Papæ Pauli quinti publicatarum contra Dominos Venetos, & ſuper nullitate dictarum cenſurarum depromptum ex ſacra ſcriptura, à ſanctis Patribus & alijs Catholicis Doctoribus, &c. Quo quidem libello Veneti ſibi propoſuerunt,

runt, non modo oſtendere ſe excommunicari, & aliјs cenſuris innodari non potuiſſe, ſed etiam, ſi fieri poſſit, viam quandam aperire, qua omnes homines ſe ipſi ab obedientia ſanctæ ſedis Apoſtolicæ ſubtrahant, eique quatenus, & quibus in rebus ipſis placuerit, obtemperent, & obediant.

Hic libellus, ut infra probaturus ſum, continet quandam doctrinam, quæ falſa, erronea, ſcandaloſa, & magna ex parte hæretica eſt, quæque, ſi in vſu poneretur, omnem non modo eccleſiaſticam, ſed ciuilem etiam, & politicam poteſtatem funditus euerteret, omnesque non ſolum ciuiles, & eccleſiaſticos Magiſtratus, & Officiales, ſed ipſosmet Principes, Duces, Reges, Imperatores, ſummos Pontifices, atque adeo ipſam Venetam Rempubl. quæ hoc libello maxime exultat, & quaſi ſecum ipſa triumphat, omni poteſtate, iuriſdictione, atque imperio penitus exueret, & ſpoliaret, eorumque decreta, ſtatuta, leges, & conſtitutiones ſingulorum priuatorum hominum iudicijs, cenſuris, & correctionibus ſubijceret.

Quare pium, & religioſum lectorem rogo, ut quæ contra hunc libellum ſcripſi, diligenter obſeruet, & cum viderit Venetam Remp. ea in ſummo Pontifice damnare, quæ non modo omnes totius orbis terrarum Principes, ſed ipſi in ſpecie Veneti faciunt, quæque niſi facerent, peſſime & cum Principibus ipſis, & cum eorum populis ageretur, tunc iudicet, quam iuſtam cauſſam habuerint Dux, & Senatus Veneti, vt aduerſus ſummum Pontificem, hoc eſt Patrem, & Paſtorem ſuum tam inobedientes eſſent, & tam contumaces.

SVMMA RERVM IN HOC LIBELLO TRACTATARVM.

PRIMO *fingit libelli auctor duo à ſe quæſita fuiſſe, quorũ vnũ eſt. Vtrũ cenſuræ, quos Sanctiſſimus D. Noſter D. Paulus Papa quintus contra Venetos promulgauit, nullæ ſint & inualidæ. Alterum quæſitum eſt, poſito quòd cenſuræ prædictæ nullæ ſint, & inualidæ. Vtrum ſacerdotes poſſint pergere miſſas, & alia diuina officia in eccleſijs ſuis celebrare, & ſacramenta miniſtrare, quemadmodum ante illarum promulgationem celebrare & miniſtrare conſueuerant.*

Deinde ad hæc duo quæſita reſpondet per octo propoſitiones.

In prima contendit probare Principes ſeculares ſuam ſecularem poteſtatem immediate à Deo habere, eamque poteſtatem ad omnes res, & perſonas nedum ſeculares ſed etiam eccleſiaſticas ſeſe extendere.

In ſecunda propoſitione contendit probare Chriſtum ſeruatorem noſtrum quatenus hominem, neque exercuiſſe, neque habuiſſe poteſtatem ſecularem, immo Principibus ſecularibus ſubiectum fuiſſe.

In tertia propoſitione contendit probare Chriſtum non reliquiſſe Petro, & eius ſucceſſoribus poteſtatem temporalem.

In quarta propoſitione contendit probare poteſtatem, quam Chriſtus ſancto Petro ſub metaphora clauium promiſit, eſſe merè ſpiritualem, & ſuper peccato, & ſuper animabus tantummodo.

In quinta propoſitione contendit probare exemptionem perſonis, & rebus eccleſiaſticis competere de ſolo iure humano ciuili.

In ſexta propoſitione contendit probare Ducẽ Venetum dum

ſuper

ſuper perſonis, & rebus eccleſiaſticis ſtatuta facit, dum perſonas eccleſiaſticas punit, dum denique ſuper bonis nondum in eccleſiam translatis leges condit, non peccare.

In ſeptima propoſitione contendit probare cenſuras à Smo. D. Noſtro contra Venetos promulgatas eſſe nullas, & inualidas. In quo reſpondet ad primum quæſitum.

In octaua & vltima propoſitione contendit probare ſacerdotibus licere poſt dictarum cenſurarum promulgationem diuina officia celebrare, & ſacramenta miniſtrare perinde, atque ſi promulgatæ non fuiſſent, In quo reſpondet ad ſecundum quæſitum.

EXAMINATVR ET REFVTATVR PRIMA PROPOSITIO.

PRIMA propoſitio eſt. Poteſtas quã Principes ſeculares, atq; adeò ipſe ſummus Pontifex, qua ratione Princeps ſecularis, habẽt, illis conceſſa fuit immediate à Deo ſine ulla exceptione.

Hæc propoſitio duo dicit, quorum vnum eſt. Principes ſeculares ſuam ſecularem poteſtatẽ immediate à Deo habere, alterum eſt, hanc poteſtatem ad omnes res & perſonas nedum ſeculares, ſed etiam eccleſiaſticas ſine vlla exceptione ſe extendere.

Vtraque huius propoſitionis pars falſa eſt, & vtriuſque partis falſitas ſeparatim probabitur.

Quid ſit poteſtatem aliquam immediate à Deo pendere, vel mediate.

§. primus.

EA poteſtas dicitur immediate à Deo pendere, quam Deus hominibus ita attribuit, vt homines ipſi in ea acquirenda per ſuam voluntatem non cooperentur. Ea autem poteſtas dicitur eſſe mediate à Deo, quam homines mediante ſua voluntaria operatione ad hunc finem aliquo ſaltem modo directa acquirunt. Verbigratia Paterfamilias habet poteſtatem ſupra filios, & ſupra ſeruos, & vtranque poteſtatem à Deo habet, primã tamen habet immediatè à Deo, ſecundam vero mediate, nam eo ipſo quod homõ alium hominem gignit, poteſtatem ſupra genitum tanquam rem ſuam, & à ſe profectam

ctam acquirit, idque locum habet etiamſi pater de huiuſmodi poteſtate acquirenda nihil penitus cogitet, ex ſolo enim natnrali iure emergit, & propterea à Deo immediate proficiſci dicitur, quia cum Deus iuris naturalis immediatus auctor ſit, poteſtatis etiam naturalis immediatus auctor dici debet. Poteſtatem vero, quam idem Paterfam. habet ſupra ſeruum, idcirco dicitur mediate à Deo trahere, quia illam mediante ſua, vel aliena humana actione acquirit, etenim dominium ſupra ſeruos acquiritur mediante cōtractu, hæreditatis aditione, bello, vel alia ſimili humana actione ad hunc finem, & effectum aliquo modo directa, adeo vt ſimilis poteſtas acquiri non poſſit, niſi concurrente ipſius acquirentis voluntate, qui quidem voluntatis concurſus non eſt neceſſarius ad acquirendam illam poteſtatem, quæ ex iure naturali conſurgit. totus hic §. probatur ex ijs, quæ ſcribit Nauarrus, cap. Nouit, notab. 3. nu. 144. & ſequent. de iud.

Tres modi quibus poteſtas aliqua dicitur immediate à Deo pendere.

§. 2.

Tribus modis poteſtas dicitur immediate à Deo venire.

PRIMVS modus eſt, quando poteſtas à iure naturali ſine ulla humana cooperatione naſcitur. Cum enim Deus iuris naturalis, quemadmodũ etiam ſupra dictum eſt, immediatus auctor ſit, quidquid à iure naturali proficiſcitur, ab ipſo Deo immediate proficiſci dicitur. Hoc modo maritus habet poteſta-

tem in vxorem, eo ipſo ènim, quod mulier aliqua matrimonium cum mare contrahit, ſtatim oritur poteſtas in viro ſupra vxorem, etiamſi neque vir, neque mulier, cum matrimonium contrahunt, de huiuſmodi poteſtate gignéda quidquam cogitent, & propterea etiamſi ſpontaneus maris, & fœminæ conſenſus ad contrahendum matrimonium concurrat, huiuſmodi tamen conſenſus nihil operatur in generatione illius poteſtatis, quam vir habet ſupra vxorem, cum talis poteſtas omnino exoriatur, etiamſi contrahentes matrimonium eam gignere non intendant, certum eſt autem actus agentium non operari vltra illorũ intentionem. Hoc eodem modo pater habet poteſtatem ſupra filios, quod quomodo verum ſit, §. ſuperiore explicatum fuit. Hoc deniq; modo ex multorum opinione, ſi multi homines in vnum conueniant, vt vniuerſitatem aliquam conſtituant, in ipſa vniuerſitate conſurgit ius, ſeu poteſtas ſupra ſingulos illius vniuerſitatis homines. quod eodem modo probatur, quia videlicet talis poteſtas in vniuerſitate conſurgit, etiamſi ſingulares homines de illa gignenda nihil prorſus cogitent, cum tamen certum ſit humanam operationem, quatenus humana eſt, nihil operari vltra operantis intentionem. Præterea idem probatur alia ratione, quia vniuerſitas ſeu ciuitas poteſtatem habet ferendi leges, quibus ſinguli vniuerſitatis, ſeu ciuitatis homines in conſcientia obligentur. At hanc poteſtatem habere non poteſt ab ipſis ſingularibus hominibus, nullus enim ſingularis homo habet poteſtatem ferédi leges, quibus vel ipſe, vel alij obligentur, & ideo neque in alium poteſtatem huiuſmodi transferre poteſt, relinquitur igitur, vt vniuerſitas poteſtatem hanc de iure naturali, & ita à Deo immediate habeat. Nauarrus dicto cap. Nouit. notab. 3. n. 144. in prin. & verſ. tam quia poteſtaté laicam: de iudicijs.

Secun-

163

Secundus modus quo poteſtas aliqua imediate à Deo dependet, eſt, quando Deus ipſe per ſe aliquem Principem conſtituit, cum videlicet ipſe per ſe alloquitur, eique ipſe per ſe poteſtatem attribuit. hoc modo Moyſes Hebræorũ Dux à Deo immediate conſtitutus fuit Exodi 3. vbi Deus Moyſi apparuit in monte Horeb. in flamma ignis de medio Rubi, eique præcepit, vt iret, & congregaret ſeniores Iſrael & diceret ad eos, Dominus Deus patrum veſtrorum &c. vt ibidem.nu.16. Hoc eodem modo Petrus à Chriſto conſtitutus fuit ſummus Pontifex, & Paulus totius eccleſię Ioan. vltimo.nu. 15. & ſequent.

Tertius deniq; modus, quo poteſtas aliqua immediate à Deo dependet eſt, quando Deus non ipſe per ſe quidem Principem conſtituit, ſed tamen ipſe Principem eligit, eiq; poteſtatem & principatum per aliquem prophetam tradit. Hoc modo Saul conſtitutus fuit Princeps populi Iſraelitici immediate à Deo. primi Reg. cap. 10. in prin. adiunctis ijs, quæ ſuperiore eiuſdem libri cap. nu. 16. leguntur, quã-uis enim Deus immediate Sauli auctoritatem dederit, opera tamen Samuelis prophetæ vſus fuit, hoc eodem modo Dauid Rex Iſrael à Deo immediate conſtitutus fuit, primi Reg. cap. 16. num. 13. vbi pariter Samuelis prophetæ opera Deus vſus fuit, hic & ſuperior modus habendi poteſtatem immediate à Deo probatur ex Nauarro d. cap. Nouit.notab.3.n.147.verſ. Præterea quòd licet aliquot Reges, &c.

Proba-

Probatur Venetos non habere poteſtatem ſuam à Deo immediate primo modo.

§. 3.

HIS explicatis, examinandum reſtat. Vtrum Veneti ſuam ſecularem poteſtatem à Deo immediate habeant. quare Dico primum illorum trium modorum, quo ſeculares poteſtates à Deo immediate pendent, ad Venetos applicari non poſſe, quod probo, quia illo modo ij ſoli auctoritatem ſupra alios à Deo immediate habent, quibus de iure naturali auctoritas huiuſmodi competit. At Veneti de iure naturali poteſtatem ſupra populos ſibi ſubditos non habent, ergo &c. maior patet ex ijs, quæ ſupra §. 2. dicta ſunt. Minor autem probatur quia ius naturale non magis præcipit, vt Veneta ciuitas imperet ciuitati verbi gratia Patauinæ, quam vt Patauina ciuitas imperet Venetæ ciuitati. At Patauina ciuitas non habet imperium de iure naturali ſupra Venetam ciuitatem ergo neque Veneta Ciuitas de iure naturali imperium habet ſupra Patauinam ciuitatem.

Fateor quidem communitatem nobilitatis Venetę de iure naturali poteſtatem habere ſupra ſingulos illius communitatis nobiles eo modo, quo §. ſuperiore explicatum eſt. Non tamen ex hoc ſequitur eandem communitatem de iure naturali poteſtatem habere ſupra ciues artificeſue Venetos, vel ſupra Patritios, ciues, artificeſue ciuitatũ ſubditarum, ius naturale enim poteſtatem gignit ſupra homines, qui ſunt communitatis illius pars, non autem ſupra homines ab illa communitate ſeparatos. quæ res, vt clarius explicetur.

Animaduertendum eſt, quamuis vt dictum fuit, in

quauis communitate de iure naturali conſurgat poteſtas ſupra ſingulas illius communitatis partes, ipſam tamen Rempubl. non poſſe ſecundum ſe totam illam exercere, atque adeo neceſſario debere eligere aliquem, vel aliquos, per quem vel quos poteſtatē ſuam exercet. Porro ad electionem perſonarum, per quos iuſtitia a ſingulis hominibus adminiſtretur, altero duorum modorum communitates deueniunt. Aliquando enim poteſtatem ſuam in perſonas taliter electas transferunt, aliquando autem poteſtatem ipſam apud ſe retinent, ipſius vero poteſtatis exercitium perſonis taliter electis cum certa temporis, & iuriſdictionis limitatione concedunt.

Perſonæ igitur à communitatibus deputatæ pro adminiſtratione iuſtitiæ, vtrocunque modo deputatæ ſint, iuriſdictionem non de iure naturali, ſed de iure poſitiuo habent, quamuis enim naturale ius communitates excitet vt aliquam regiminis formam ſibi eligant, non tamen ad hoc deſcendit, vt hanc vel illam gubernandi formam proponat, hanc vel illam perſonam, cui iuriſdictio tradatur, determinet, neque vt quanta, & quomodo iuriſdictio illi danda ſit definiat, ſed communitates ipſæ ſponte, ac libere alterum dictorum modorum eligunt, atque ita vel Regem ſibi conſtituunt, eique poteſtatem vel abſolute omnia faciendi, quæ Reſpublicæ ipſæ facere poſſunt, vel limitatam concedunt, vel retenta penes ſe poteſtate diuerſos Magiſtratus creant, quibus poteſtatis exercitium tradant, atque ideo & Reges, alijque Principes, & Magiſtratus non de iure naturali, ſed de iure poſitiuo atque humano poteſtatem habent.

Veneta igitur Reſp. ſeu nobilitas nunquam in alium tranſtulit eam poteſtatem, quam ipſa de iure naturali in omnes ſuas partes habet, ſed diuerſos de die in diem Magi-

ſtratus conſtituit, quibus poteſtatis ſuæ exercitium cum certis limitationibus, & cautionibus committit. Et propterea neque Dux, neque Senatus, neque Collegiũ, neque Decemuiri, neque vllus alius illius Reip. Magiſtratus ſuam poteſtatem immediate à Deo habent, ſed mediante electione Magni Conſilij. Magnum autem Conſilium quo ad partes ipſius Magni Conſilij, videlicet quo ad nobiles, ex quibus componitur, habet auctoritatem ſuper eos de iure naturali, & ita immediate à Deo. Quod ad populos autem illi Reip. ſubditos auctoritatem habet non de iure naturali & per conſequens non immediate à Deo, cũ ius naturale non præcipiat, vt vnus homo habeat auctoritatem in alium ſibi nullo naturali vinculo coniunctum, ſed habet auctoritatem in illos populos, aut quia ipſi ſeſponte ei ſubiecerunt, aut quia iuſto bello, alioue iuſto titulo imperium in eos acquiſiuit, ſi quos enim fortaſſe populos non iuſte ſibi ſubegit, in illos non imperium habet, ſed tyrannidem exercet.

Probatur Venetos non habere poteſtatem ſuam immediate à Deo ſecundo modo.

§. 4.

SECVNDVS modus, quo poteſtas ſecularis immediatè à Deo habetur, eſt, quando Deus ipſe apparet hominibus & illis imperium ſupra alios tradit. Neq; igitur hoc modo dicere poſſunt Veneti ſe habuiſſe ſuam poteſtatem immediate à Deo. Quod probatur.

Primo Deum apparuiſſe Venetis, cum illis palam locutum eſſe, eiſque imperium ſupra alios populos dediſſe

165

eſt quid facti, facta autem non præſumuntur, ſed probari debent. Niſi igitur Veneti ſuam illam tantam cum Deo familiaritatem & collocutionem probauerint, nihil erit cur poteſtatem ſuam à Deo immediate hoc ſecundo modo pẽdere nobis obtrudant. Moyſem enim dicimus poteſtatem ſuam à Deo immediate hoc ſecundo modo accepiſſe, quia id nobis conſtat teſtimonio ſacrarum literarum, Exodi. 3. num. 16. & idem de ſummo Pontifice affirmamus, quia id ex Euangelio Ioann. vltimo, nu. 15. & ſequentibus exploratum habemus. At de Venetis nunquam tale quidpiam auditum, nunquam lectum, nunquam ſomniatum fuit.

Secundo quando Deus Moyſi poteſtatem dedit, certum ei populum quem regeret aſſignauit, & Chriſtus, quãdo Petro poteſtatem tribuit, eam ad ipſius Chriſti oues reſtrinxit, dixit enim paſce oues meas. In Venetis autem nihil tale apparet, neque enim certum hominum genus illis ſubiectum eſt, quemadmodum Chriſtiani omnes ſummo Pontifici obedire tenentur, neque certus populus, cum aliquos græcos, & aliquos latinos ſubiectos habeant. Quod ſi Veneti dixerint certum populum ſibi à Deo ſubiectum fuiſſe, quemadmodum Moyſi certus populus ſubiectus fuit, eos tamen poſſe alios etiam populos ſibi iure belli, vel alio iuſto titulo ſubigere, quemadmodum Moyſes etiamſi à Deo ſoli Hebræorum populo præpoſitus fuerat, alios tamen etiam populos ſibi ſubijcere poterat. Oportebit imprimis eos oſtendere, quis ſit ille præcipuus populus, quẽ illis Deus ſubiecerit, deinde ſibi ipſis contradicent, quamuis enim concedamus Moyſem potuiſſe bello vel alio iuſto titulo alios etiam populos ſibi ſubijcere, non tamen vnquam concedemus, poteſtatem, quam Moyſes in populos à ſe ſubactos acquiſiuiſſet à Deo immediate hoc ſecundo

modo pependiſſe. Veneti autem volunt ſuam ſecularem poteſtatem vniuerſam à Deo immediate pendere.

Tertio Veneti antiquis temporibus nonnullas vrbes in Flaminia, ſeu Romandiola, quas certiſſimum erat ad ſummum Pontificem pertinere occuparunt. Quæro igitur vtrum Veneti poteſtatem etiam in huiuſmodi vrbes à Deo immediate hoc ſecundo modo acceperint, an non? ſi dixerint, ſe poteſtatem etiam in huiuſmodi vrbes à Deo immediate accepiſſe hoc ſecundo modo: explicari ab illis oportebit, quid cauſſæ eſſe potuerit, cur Deus vrbibus illis Vicarium ſuum priuaret, vt de eiſdem Reip. Venetæ gratificaretur, non enim credibile videtur Venetos tam caros, tam præcipuos, ac tam iucundos Deo fuiſſe, vt in illorum gratiam voluerit quaſi de cœlo deſcendere, illis apparere, cum illis coram loqui, ac denique vrbes, quas ſummo Pontifici ademiſſet, illis tradere. Atqui hæc omnia facta fuiſſe neceſſe eſt, ſi poteſtatem in eas vrbes à Deo immediate hoc modo acceperunt. Præterea quomodo credibile eſt vrbes illas à Deo Venetis traditas fuiſſe, quas tandem Deo hominibusque approbantibus ſummo Pontifici, cuius erant, reſtituere iuſtiſſimo bello coacti fuerunt? Quòd ſi Veneti faſſi fuerint id, quod negare non poſſunt, ſe carnis fragilitate victos, & dominandi libidine ſuperatos vrbes illas ſupra modum adamaſſe, nimioque illarum amore captos in rationis gyro contineri non potuiſſe, & tanquam equos indomitos omnia diuinarum, atque humanarum legum vincula vt vrbibus illis potirentur, diſrupiſſe, ac propterea nullam neque à Deo, neque ab hominibus iuriſdictionem in eas vrbes re vera habuiſſe. Si Veneti, inquam, id confeſſi fuerint, ingenuè illi quidem agent, haud facile tamen, cur tam cito temporum illorum conditionem obliuioni tradiderint, explicabunt, ſi enim recordaren-

166

darentur, quot & quanta mala ob iniuſtam illarum vrbiũ occupationem ſuſtinuerint, in quot, quantiſque periculis ac difficultatibus fuerint, quot quantiſque miſerijs, calamitatibus, atque ærumnis populos ſuos omnes afflixerint, in quot, quantaſque ipſimet anguſtias, quantamq; rerum omnium deſperationem coniecti ſint, non tam leuiter, credo, adducerentur, vt ſedem Apoſtolicam ad eum gladiũ denuo contra eos ſtringendum prouocarent, cuius ne vnicum quidem ictum ſuſtinere tunc temporis potuerunt.

Probatur Venetos non habere poteſtatem ſuam immediate à Deo tertio modo.

§. 5.

TERTIVS, & vltimus modus, quo poteſtas aliqua immediate à Deo dependet, eſt, quando Deus non ipſe per ſe, ſed per aliquem prophetam hominibus poteſtatem tradit. Venetos igitur ne hoc quidem modo poteſtatem ſuam à Deo immediate habere probandum eſt. Et quamuis arguméta, quibus probatum fuit Venetos ſuam poteſtatem à Deo immediate ſecundo modo non habere, probent etiam eoſdem nõ habere eandem poteſtatem immediate à Deo hoc tertio modo, duo tamen addam, quorum vnum huius modi proprium erit, alterum ei cum ſecundo modo commune.

Primo igitur hoc probatur, quia quando Deus aliquibus per prophetam poteſtatem dedit, tunc certum aliquẽ prophetam, qui ſimili miniſterio functus fuit, elegit. quemadmodum ſupra de Dauide, & Saulo oſtenſum eſt. At quis fuerit iſte tam fortunatus propheta, quem Deus ad tradendam Venetis poteſtatem miſerit, hactenus auditum non fuit.

ideo & contra exempla, & contra rationem loqui videbũtur. Quod ſi Veneti dixerint nullos ſibi Imperij fines à Deo præſtitutos fuiſſe; dicant quæſo vnde factum ſit, vt hactenus ipſi contra diuinam voluntatem Imperium non modo certis, ſed etiam admodum anguſtis finibus circum ſcriptum habuerint.

Reſpondetur ad argumentum, quo libelli auctor probare nititur ſeculares poteſtates immediate à Deo pendere.

§. 6.

LIBELLI auctor ad probandum ſeculares poteſtates immediate à Deo pendere allegat D. Paulum ad Rom. 13. in prin. vbi ait. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinata ſunt &c. Ecce inquit auctor, Diuus Paulus immo ſpiritus ſanctus ipſe ait, non eſſe poteſtatem niſi à Deo, & poteſtates, quæ ſunt à Deo ordinatas eſſe, ergo, &c.

Reſpondeo Diuum Paulum, & ſpiritum ſanctum dicere omnes poteſtates eſſe à Deo, & omnes poteſtates, quæ ſunt à Deo ordinatas eſſe. Nego tamen Diuum Paulum, aut ſpiritum ſanctum vnquam dixiſſe, vel innuiſſe omnes poteſtates eſſe immediate à Deo, quemadmodum libelli auctor illis impoſuit. Aliud eſt enim poteſtatem eſſe à Deo, quemadmodum ſanctus Paulus loquitur, aliud poteſtatem eſſe immediate à Deo, quemadmodum libelli auctor falſo affirmat.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis clare patet poteſtatem ſecularem Venetorum à Deo immediate non pendere

dere. Reſtat vt altera pars huius propoſitionis confutetur. Et quoniam contra quintam propoſitionem probaturus ſum Perſonas, & res eccleſiaſticas de iure diuino exemptas eſſe à iuriſdictione ſeculari, imo, quod maius eſt, omnes ſeculares Principes de iure diuino ſummo Pontifici ſubiectos eſſe, eique obedire teneri, idcirco ſatis erit, ſi hic breuiter refutata fuerint argumenta, quibus libelli auctor probare nititur ſecularem Venetorum poteſtatem ad res & perſonas eccleſiaſticas de iure diuino ſe extendere.

Reſpondetur ad locum Diui Pauli ad Rom. 13. ex quo probare nititur libelli auctor ſecularem Venetorum poteſtatem ad eccleſiaſticas perſonas ſe extendere.

§. 7.

LOCVS igitur diui Pauli ad Rom. 13. ubi ait, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit &c. non probat Principum ſecularium poteſtatem ad perſonas eccleſiaſticas ſe extendere. Quia Diuus Paulus eo loci tantummodo ſignificat omnem hominem debere ſuo Principi ſubditum eſſe, eique humiliter obedire, id quod omnes & ſciunt, & confitentur verum eſſe. Quare Diuus Paulus ſupponit aliquem eſſe alicui Principi ſubditum & hoc ſuppoſito, iubet, ſeu potius admonet hunc ſubditum, vt ſuo illi Principi obediat. Vtrum autem Perſonæ eccleſiaſticæ Principi ſeculari ſubditæ ſint, an non, nihil tangit Diuus Paulus. Quare tota illa ratiocinatio Diui Pauli, videlicet, quod, qui poteſtati reſiſtit,

168

ſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Quod, qui reſiſtunt, ſibi ipſis damnationem acquirant, pœnam videlicet temporalem mereantur, eaq; à ſeculari Principe infligi poſſit, quod denique qui reſiſtunt, mortaliter peccent, locum habet in ſubdito comparatione ſui Principis, vel ſuperioris. Quare ſi aliquis erit Princeps ſuperiorue tantummodo laicorum, quo ad illum Principem ſuperioremue locū habebit in ſolis laicis. Si autē erit Princeps ſuperiorue tantummodo eccleſiaſticorum, quo ad illum Principem ſuperioremue in ſolis eccleſiaſticis locum ſibi vindicabit. Quod ſi quis & laicorum, & eccleſiaſticorum Princeps ſuperiorue erit, quo ad illum & in laicis, & in eccleſiaſticis locum habebit. Si libelli auctor igitur aliunde probauerit perſonas eccleſiaſticas Principibus ſecularibus ſubditas eſſe, poterit ex hoc loco concludere perſonas huiuſmodi ſi tali Principi non obediuerint, & peccare contra Deum, & poſſe à Principe illo puniri. Quod ſi id probare non potuerit, vt reuera nunquam poterit, ſe ipſum doloſum, & fraudulentum hominē fateatur, neceſſe erit, qui vt Venetæ Reipub. adularetur, verba Diui Pauli ad illum ſenſum torſit, quem Diuus Paulus nunquam ne per ſomnium quidem finxit.

Reſpondetur ad locum Diui Chryſoſtomi in Cap. 13. ad Rom.

§. 8.

QVAMVIS Diuus Chryſoſtomus, in Caput 13. ad Rom. ſenſum Diui Pauli explicans verbis, quæ ſubſequuntur, vſus fuerit: facit hoc Apoſtolus, vt oſtendat Chriſtum leges ſuas non ad hoc induxiſſe, vt politias euertat, ſed vt ad melius inſtituat. Oſtendens,

quod iſta omnibus imperentur, & Monachis, & Sacerdotibus, non ſolum ſecularibus, id quod ſtatim in initio declarat. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. etiamſi Apoſtolus ſit, etiamſi Euangeliſta, etiamſi Propheta, ſiue tandem quisquis fuerit. neque tamen pietatem ſubuertit iſta ſubiectio, &c. Quamuis inquam Diuus Chryſoſtomus hoc modo locutus ſit, non propterea tamen ſignificauit, Monachos, Sacerdotes, Apoſtolos, Euangeliſtas, & Prophetas Principibus ſecularibus ſubiectos eſſe, ſed tantummodo dixit, Diuum Paulum eis iuſſiſſe, vt poteſtatibus ſublimioribus obediãt. Non ſequitur autem, Perſonę eccleſiaſticę ex Diuo Paulo, & Diuo Chryſoſtomo debent obedire poteſtatibus ſublimioribus, ergo debent obedire Principibus ſecularibus, quemadmodum non ſequitur, Franciſcus eſt animal, ergo Franciſcus eſt equus, ſed eſt fallacia conſequentis, vt logicis etiam ſemiidiotis patet. Sicut enim animal eſt genus ad equum, & alias animalis ſpecies, & propterea poſito animali, non licet concludere certam illius ſpeciem, ita poteſtas ſublimis eſt genus ad poteſtatem eccleſiaſticam, & poteſtatem ſecularem, & propterea non recte infertur, Diuus Chryſoſtomus dixit, aut certe ſignificauit à Beato Paulo dictum fuiſſe etiam perſonas eccleſiaſticas debere eſſe ſubditas poteſtatibus ſublimioribus. ergo ſignificauit Diuum Paulum dixiſſe eaſdem perſonas eccleſiaſticas debere eſſe ſubditas Principibus ſecularibus. Et certe huiuſmodi argumentatio, ſeu potius argumentandi fallacia adeo pinguis, & craſſa eſt, vt neceſſe ſit valde miſerum fuiſſe bonum illum reuerendum, qui in ſuis rebus ambiguis ad iſtius Pſeudotheologi conſilium, & iudicium confugere conſueuerit. Et tamen cum iſta craſſitie, cum iſta cerebri pinguedine tanta ſuperbia, tanta ſuiipſius oſtentatio coniuncta eſt, vt eos audaces, & proteruos

uos

161

uos appellare audeat, qui ſuis iſtis male ſanis propoſitionibus contradicere tentarint.

Reſpondetur ad tertium argumentum quo libelli auctor probare nititur ſecularem Venetorum poteſtatem etiam ad eccleſiaſticas perſonas ſe extendere.

§. 9.

TERTIO loco argumentatur libelli auctor hoc modo. In veteri lege leuitę, qui Sacerdotes erãt, qui res diuinas tractabant, quiq; Aaronem ſummum Pontificem habebant, nihilominus in rebus temporalibus, in cauſſis, & Iudicijs Moyſi illorũ Principi ſubiecti erant. Ergo idẽ debet eſſe in lege noua. Reſp. hoc argumentum nihil concludere, quia Moyſes non modo Princeps ſecularis, ſed etiam ſummus Pontifex, ipſoq; Aarone maior erat. Pſal. 98. Moyſes, & Aaron in Sacerdotibus eius. Et ipſum Aaronem in ſummum Pontificem conſecrauit. Leuit. 8. Atque ideo mirum non eſt etiam leuitas illius iuriſdictioni ſubiectos fuiſſe, cum poteſtatem non ſolum ſecularem, ſed etiam ſpiritualem habuerit. Veneti autem eccleſiaſticam poteſtatem nõ habent, niſi forte hanc etiam poteſtatem à Deo immediate acceperunt, quãdo cum eo palam, & familiariter collocuti ſunt, ab illoque ſupra omnia mundi Regna Imperium acceperunt.

Reſpondetur ad quartum argumentum.

§. 10.

QVARTO loco libelli auctor probare contendit ſecularem poteſtatem etiam ad eccleſiaſticas perſonas ſe extendere hoc modo. Poteſtas ſecularis ad eas omnes perſonas ſe extendit ex natura ſua, quæ per multum tempus ab ipſa ſeculari iuriſdictione iudicatæ fuerunt. At à primordio eccleſiæ vſque ad tempus Iuſtiniani Imperatoris perſonæ eccleſiaſticæ tam in ciuilibus, quam in Criminalibus cauſſis iudicatæ fuerunt à iuriſdictione & poteſtate ſeculari. Ergo iuriſdictio & poteſtas ſecularis ad perſonas eccleſiaſticas ex natura ſua ſe extendit. Maiorem huius argumenti propoſitionem perinde ac ſi eius veritas ipſa per ſe clara ſit, non aliter probat libelli auctor. Minorem autem propoſitionem probat, quia Iuſtinianus Imperator fuit primus qui ad petitionem Epiſcopi Conſtantinopolitani Eccleſiaſticis conceſſit, vt in cauſſis ciuilibus poſſent iudicari à ſuo Prælato, ipſo tamen non impedito. in quo caſu, & in delictis criminalibus reliquit, vt Eccleſiaſtici ſubiecti ſint Principi temporali & eius Miniſtris, quemadmodum clare legitur in nouella Conſtitutione 83. Iuſtiniani Imperatoris.

Reſponſionem ad hoc argumentum in tres partes diſtribuam.

Primo enim probabo maiorem propoſitionem eſſe falſam.

Deinde oſtendam etiam minorem propoſitionem pariter falſam eſſe.

Tertio & vltimo reſpondebo ad rationem, qua libelli auctor probare nititur eandem minorem.

Quod igitur maior propoſitio falſa ſit probatur.

Primo quia ſæpius Tyranni extiterunt, & etiam nunc ſunt, qui omnia Imperij, & iuriſdictionis officia ſupra aliquos populos ad plurimos annos exercuerunt, atque adeo nunc exercent, ad quos tamen illorum iuriſdictio, & imperium non ſe extendebat, neque nunc ſe extendit. Ac de antiquis quidem tyrannidibus patet ex politicis Ariſtotelis. De præſenti autem Turcorum tyrannide non multum laborandum eſt in illius probatione Scimus enim Turcam aliquos populos nullo iuſto titulo, ſed ſola dominandi libidine ſubegiſſe, eosque ſubactos ad centum, ducentos, & fortaſſe plures annos tenuiſſe. At multò facilius eſt certum ac peculiare genus hominum Tyrannice regere, quam integrum populum. Ergo ſi ex eo, quod aliquis populus ad plurimos annos ab aliquo gubernatus fuit, colligi non poteſt populum illum ſub iuriſdictione & Imperio fuiſſe, multò minus colligi poterit certum genus hominum ſub illorum iuriſdictione fuiſſe, à quibus per duo triaue ſecula gubernatum fuit. At ſi vera eſſet maior propoſitio huius argumenti, omnino id colligeretur, quia vult poteſtatem ſecularem ad eas omnes perſonas ex natura ſua ſe extendere, quæ à poteſtate ſeculari per multum tempus gubernatæ fuerunt.

Secundo etiam fieri poteſt, vt quàmuis perſonæ eccleſiaſticæ de iure diuino à ſeculari poteſtate exemptæ ſint, nihilominus tamen ſine tyrannide, & ſine peccato à ſeculari poteſtate gubernatæ fuerint. Etenim diuinum ius, per quod perſonæ eccleſiaſticæ à ſeculari poteſtate eximũtur, neque ipſum per ſe notum eſt, neque ex diuino iure per ſe noto facili diſcurſu deducitur, ſed in eo deducendo, &

colligendo acri iudicio, & diuturna meditatione opus eſt. At quando diuinum ius neque ipſum per ſe notum eſt, neque ex diuino iure per ſe noto facile deducitur, tunc illius ignorãtia probabilis eſt. & à peccato excuſat. Azorius lib. 1. moralium: cap. 13. quæſt. 1. & 2.

Tertio, primis illis temporibus, & poſtea etiam ad plurimos annos Imperatores & Principes aut gentiles fuerũt, aut hæretici: & ita diuinum ius, quo eccleſiaſticæ perſonæ à ſeculari poteſtate eximuntur, aut intelligere non potuerunt, aut executioni mandare non curarunt, & propterea ſi perſonas eccleſiaſticas gubernarunt, easque à ſuis Magiſtratibus iudicari voluerunt, non propterea id fecerunt, quod illorum iuriſdictio ad eos ſe extenderet, ſed quod eã extendi arbitrati ſunt.

Ex his patet non neceſſe eſſe, vt qui ab aliquo diutius gubernati fuerunt, ij illius iurisdictioni, & imperio ſubiecti fuerint, quod manifeſte probat maiorem propoſitionẽ argumenti à libelli auctore adhibiti falſam eſſe. Nũc oſtendendum eſt etiam minorem propoſitionem eiuſdem argumenti pariter eſſe falſam, id autem facillime oſtendemus, ſi perſonas eccleſiaſticas ante Iuſtiniani Imperatoris tempora ſuum præcipuum tribunal habuiſſe, neque à ſecularibus, ſed ab eccleſiaſticis iudicibus iudicatos fuiſſe monſtrabimus, hoc autem facile probari poteſt in primis teſtimonio diuerſorum Imperatorum, qui ante Iuſtinianum imperarunt. Deinde teſtimonio Conciliorum, quæ ante Iuſtiniani Imperatoris tempus celebrata ſunt. Tertio teſtimonio ſummorum Pontificum, qui pariter antequã Iuſtinianus Imperaret, Pontificatum geſſerunt. Ac deniq; ipſius teſtamenti noui, ac veteris teſtimonio.

Martianus Imperator annis quaſi octoginta ante Iuſtinianum imperauit. Atis in l. Decernimus, C. de Epiſcopali audientia: in hæc ipſa verba ſtatuit. Decer-

171

Decernimus, vt quicunque Catholicarum eccleſiarũ quæ ſub viro religioſo Archiepiſcopo huius almæ vrbis ſunt, reuerendiſſimum œconomum ſiue de eccleſiaſticis, ſiue de proprijs, & ad ipſum ſolum pertinentibus cauſſis, vel quemcunque alterum earundem eccleſiarum clericũ aliqua voluerit lite pulſare, apud memoratum beatiſſimũ Archiepiſcopum cauſſam dicat, in negotijs audiendis fidẽ ac ſinceritatem geminam præbiturũ, & Sacerdotis, & iudicis, volentibus tamen actoribus pateat epiſcopale iudiciũ, ac nullus, qui huiuſcemodi intendit in ſacroſanctas eccleſias, vel in prædictos clericos actionem ad religioſiſſimum Antiſtitem ducatur inuitus.

Valentinianus, Theodoſius, & Archadius centum & quadraginta, ac pluribus annis ante Iuſtinianum imperarunt. At ij in Cap. Continua lege 2. quæſt. 1. his ipſis verbis ſtatuerunt.

Continua lege ſancimus, vt nullus Epiſcoporum, vel eorum qui eccleſiæ neceſſitatibus ſeruiunt, ad iudicia ſiue ordinariorum, ſiue extraordinariorum iudicum pertrahatur. habent illi ſuos iudices, neç quidquam his, publicis eſt commune cum legibus &c.

Hactenus Imperatores, ex quorum lege obſeruandum eſt etiam ante hos Imperatores fuiſſe fori diſtinctionem, cum perſpicue dicant perſonas eccleſiaſticas habere ſuos iudices, neque quidquam illis, cum publicis legibus commune eſſe. Atque ita lex huiuſmodi lata non fuit, vt vllam fori diſtinctionem introduceret, ſed vt Magiſtratus ſeculares, & populos, qui fori diſtinctionem antea introductam violare aliquando conabantur, compeſceret.

Conſtantinus ducentis, ac pluribus annis ante Iuſtinianum imperauit. At is quemadmodum Ruffinus lib. 10. Hiſt. Eccleſ. refert, Epiſcopos Concilij Niceni hoc modo allocutus fuit.

Deus

Deus vos conſtituit ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur. Vos autem nō poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod Dei ſolius inter vos expectate iudicium, & veſtra iurgia quæcunque ſunt, ad illud diuinum reſeruentur examen. Vos etenim à Deo nobis dati eſtis dij, & conueniens non eſt, vt homo iudicet Deos. Sed ille ſolus de quo ſcriptum eſt. Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diſcernit &c. Ecce Imperator ipſe non modo fori diſtinctionem agnoſcit, ſed ſimpliciter perſonas eccleſiaſticas à Principe ſeculari iudicari non poſſe cōfitetur.

Neque ſine ſcelere dici poteſt id, quod ait libelli auctor, videlicet Imperatorem illum ita quidem locutum fuiſſe, non tamen ita re vera ſenſiſſe, ac ſermonem illum non à veritate, ſed à nimio quodam ſtudio oſtendēdi pietatem & benignitatem erga eccleſiam ortum eſſe.

Id, inquam, ſine ſcelere dici non poteſt, nam & ſanctiſſimus vir fuit Imeprator ille, neque vllam mentiendi cauſſam habuit, & meram, ac ſolidam veritatem locutum fuiſſe infra contra quintam propoſitionem patebit. Et ratio, quæ libelli auctorem mouit, vt ſanctiſſimum Imperatorem mendacij accuſaret, quia videlicet, ſi vera eſſent, quæ à Conſtantino dicta fuerunt, ſequeretur perſonas & Prælatos eccleſiaſticos nequidem ab ipſo ſummo Pontifice iudicari poſſe, cum dixerit eos Dei ſolius inter ſe expectare debere iudiciū, hęc, inquam, ratio nullius prorſus momēti eſt, quia perſonæ eccleſiaſticæ idcirco reſeruatæ dicuntur ad diuinum iudicium, quia à nullo iudicari debent, niſi vel à Deo ipſo, vel ab eo cui talem poteſtatem Deus dederit, hanc autem poteſtatem ſummo Pontifici datam fuiſſe tam exploratum eſt, quam, quod exploratiſſimum, cum

Petro

Petro à Chriſto dictum fuerit. Paſce oues meas &c. inter oues Chriſti autem non modo laici, ſed etiam eccleſiaſtici recenſentur, ac Paſtoris munus eſt non ſolum ouibus cibum præbere, ſed etiam ſi quæ inter illas morboſæ ſint, eaſdem curare.

Hactenus de Imperatorum teſtimonijs, quibus aperte probatum fuit fori eccleſiaſtici à foro ſeculari diſtinctioné aliquot ſeculis antequam Iuſtinianus imperaret introductam fuiſſe, nunc idem Conciliorum teſtimonijs probandum eſt.

Concilium Agathenſe celebratum fuit viginti & pluribus annis antequam Iuſtinianus Imperator fieret. At in hoc concilio cap. 32. quemadmodum habetur in cap. Clericum nullus 11. quæſt. 1. in hæc verba ſtatutum fuit.

Clericum nullus præſumat apud ſecularem iudicem, Epiſcopo non permittente, pulſare, ſed ſi pulſatus fuerit, non reſpondeat, vel proponat, nec audeat criminale negotium in ſeculari iudicio proponere.

Concilium Mileuitanum celebratum fuit centum & viginti annis ante Iuſtiniani Imperium. At in hoc concilio cap. 19. ſicut habetur in cap. Placuit 11. quæſt. 1. hoc ſtatutum fuit.

Placuit, vt quicunq; ab Imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petierit, honore proprio priuetur, ſi autem Epiſcopale iudicium ab Imperatore poſtulauerit, nihil ei obſit.

Concilium Carthaginienſe tertium celebratum fuit centum & triginta, ac pluribus annis antequam Iuſtinianus Imperator creatus ſit. At hoc Concilium, ſicuti habetur in cap. Placuit, vt quiſquis, 11. quæſt. 1. in hæc verba ſtatuit.

Placuit, vt quiſquis Epiſcoporum, presbyterorum, &

Diaconorum ſeu clericorum, cum in eccleſia ei fuerit crimen intentatum, vel ciuilis cauſa fuerit commota, ſi derelicto eccleſiaſtico iudicio publicis iudicijs purgari voluerit, etiamſi pro ipſo fuerit prolata ſententia, locum ſuum amittat, & hoc in criminali actione, in ciuili vero perdat, quod euicit, ſi locum ſuum obtinere maluerit.

Concilium Romanum primum celebratum fuit ducentis, & pluribus annis, antequam Iuſtinianus Imperaret, & nihilominus in eo, cap. 4. in hæc verba ſtatutum fuit.

Silueſter Epiſcopus dixit: nulli omnino clerico licere cauſſam quamlibet in publico examinare, nec vllum clericum ante iudicem laicum ſtare, & dixerunt omnes Epiſcopi: Placet.

Potuiſſem etiam allegare textum in cap. ſi Clericus. 11. quæſt. prima, quod ſumptum fuit à Concilio Chalcedonẽſi cap. 9. quod Concilium celebratum fuit quaſi octoginta annis ante Iuſtiniani imperium, in illo enim cap. diſtinctio fori eccleſiaſtici à foro ſeculari manifeſte probatur.

Nunc eandem fori eccleſiaſtici à foro ſeculari diſtinctionem teſtimonijs ſummorum Pontificum, qui ante Iuſtiniani tempora vixerunt, probabo.

Gelaſius Pontificatum geſſit quadraginta annis antequam Iuſtinianus imperaret. Atis in cap. Chriſtianis. verſ. & per auctoritatem. 11. quæſt. 1. hæc verba habet.

Et per auctoritatem Regiam cõtra leges publicas, cum clericali cingulo tenerentur adſtricti, per Archidiaconũ vrbis Grumentinæ eſſe conuentos, cum conſtet eum, qui cœleſtem militem pulſat non niſi eius forum debere ſectari: &c. Et in cap. ſequenti: §. & ideo, eadem quæſt. & cauſſa, habet hæc verba.

Et ideo, fratres cariſſimi, quoniam ſe etiam ab Archidiacono dictæ eccleſiæ queruntur oppreſſos, qui per eorũ abſen-

173

abſentiam moderatoris iudicium promiſit eos eſſe ſecuturos, calcatis omnibus rationibus, & contra leges diuinas & publicas pulſatis forum ſuum putauit auferri, in veſtro iudicio quisquis ille eſt, qui clericum laceſſit, aduenіat, vt eccleſiæ iura, quæ vetuſti Principes aſſidua ſanctione firmauerunt, impetitis clericis non negentur.

Leo Pontifex fuit octoginta annis antequam Iuſtinianus Imperauit. At is in cap. aliud quidem eſt, 11. quæſt. 1. hæc verba habet.

Aliud quidem eſt debita iuſta repoſcere, aliud propria perfectionis amore contemnere, ſed illicitorum veniam postulantem oportet etiam à multis licitis abſtinere, dicẽte Apoſtolo: omnia mihi licent, ſed non omnia expediũt. Vnde ſi quis pœnitens habet cauſſam, quam negligere forte non debeat, melius expedit eccleſiaſticum, quam forenſe iudicium.

Silueſter Pontificatum geſſit ducentis, & pluribus annis ante Iuſtinianum Imperatorem. At is in cap. ſi quis clericus 11. quæſt. 1. habet hæc verba.

Si quis clericus accuſans clericum in curiam introierit, anathema ſit, &c. & in cap. nullus clericus, ead. quæſt. & cauſſa, his verbis ſtatuit.

Nullus clericus vel Diaconus, vel presbyter propter quamlibet cauſſam intret in curiam, nec ante iudicẽ ciuilẽ cauſſam dicere præſumat.

Marcellinus fuit Pontifex ducentis, & triginta, ac pluribus annis ante Iuſtiniani tempora. At is in cap. clericum, 11. quæſt. 1. hæc verba habet.

Clericum cuiuslibet ordinis abſque Pontificis ſui permiſſu nullus prçſumat ad ſecularem Iudicem attrahere, nec laico quemlibet clericum liceat accuſare.

Clemens quadringentis annis Pontifex fuit ante Iuſtiniani

niani Imperium. At is in cap. ſi qui êx fratribus, 11. quæſt. 1. hæc habet verba.

Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non iudicentur, ſed apud presbyteros eccleſiæ quidquid illud eſt dirimatur.

Iam igitur ſummorum Pontificum, Conciliorum, ac Imperatorum ipſorum teſtimonijs clariſſime prcbatum eſt libelli auctorem falſum dixiſſe, cum affirmauit Iuſtinianum Imperatorem fuiſſe primum, qui eccleſiaſticum forum à ſeculari foro diſtinxit. Nunc ad conuincendam penitus iſtius hominis temeritatem, duobus teſtimonijs ex teſtamento nouo, & alijs duobus ex teſtamento veteri eandem fori diſtinctionem probabo.

Diuus Paulus 1. ad Corinth. 6. habet hæc verba. Audet aliquis veſtrum negotium habens aduerſus alterũ iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? Ań neſcitis quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? &c. Ecce Apoſtolus Chriſtianorum cauſſas ad eccleſias deferri, & ibidem terminari præcipit.

Idem Beatus Paulus 1. ad Timoth. quinto. nu. 19. his verbis loquitur. Aduerſus presbyterum accuſationem noli recipere niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.

Deuteronomij Cap. 17. nu. 8. ſi difficile & ambiguũ apud te iudicium eſſe perſpexeris, inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſſam, & cauſſam, lepram, & lepram, & iudicũ intra portas tuas videris verba variari, ſurge & aſcende ad locũ, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes leuitici generis, & ad iudicé, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, ſequeriſq;

174

riſq; ſententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad ſiniſtram. qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino DEO tuo, ex decreto iudicis, morietur homo ille, & auferes malum de Iſrael, cōmotusque populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia &c.

Secundi Paralipomenon: cap. 19. nu. 11. Ananias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit, porro Zabadias filius Iſmael, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent, &c.

Patet igitur fori diſtinctionem non ſolum ante Iuſtinianum, ſed etiam multis ſeculis antequam Reſp. Veneta in rerum natura eſſet, introductā fuiſſe. Illud ſolum reſtat vt ad nouellam Iuſtiniani octogeſimam tertiam reſpondeatur.

Reſpondeo igitur, quamuis de iure diuino clerici exempti ſint, à Iuriſdictione ſeculari, hanc tamen exemptionem ſæpius ab Imperatoribus, & illorum Magiſtratibus, quos Veneti imitari contendunt, violatam fuiſſe, ac propterea ſæpius neceſſarium fuiſſe nouas leges ferri, quibus eadem exemptio adiuuaretur, & à Magiſtratuum oppreſſione liberaretur. Porro Iuſtinianum nimiam ſibi contra clericos, & res clericorum iuriſdictionem vſurpaſſe ex eius legibus manifeſtum eſt, cum non ſolum de rebus temporalibus, ſed etiam de ſpiritualibus, atque adeo de tota diſciplina eccleſiaſtica conſtitutiones promulgarit, & ideo mirum non eſt, ſi cum partem ſuæ illius vſurpationis abſtulit, ſe priuilegium clericis dare ſignificauit.

Immo quod nimiam ſibi contra clericos iurisdictioné vindicarit, patet ex duobus locis illiusmet nouellæ cap. 3. 1. videlicet, dum dicit, clericos, qui à ſecularibus iudicibus

reperti fuerint, culpabiles, non poſſe ab illis puniri, niſi prius ab illorum Epiſcopis degradati, atque ita ſecularibus legibus ſubiecti fuerint, &c. hic enim perſpicue confitetur clericos dum in clericali dignitate ſunt, ſecularibus legibus ſubiectos non eſſe. II. Patet dum infra dicit, ſeculares iudices non debere cognoſcere delicta clericorum eccleſiaſtica, quia videlicet talis cognitio ſit contra ſacras, & diuinas regulas, atque ita perſpicue fatetur huiuſmodi crimina de iure diuino à cognitione ſecularium eſſe exempta, hoc autem ius diuinum ſi diligentius conſideraſſet Iuſtinianus, profectò intellexiſſet non ſola eccleſiaſtica, ſed quæcunq; clericorum crimina à ſeculari iuriſdictione eſſe exempta.

Reſpõdetur ad quintum argumentum quo libelli auctor probare nititur ſecularem Venetorum poteſtatem etiam ad eccleſiaſticas perſonas ſe extendere.

§. II.

QVINTO modo argumentatur libelli auctor hoc modo. Quemadmodũ nullus excipitur ab obedientia, quam debet Deo, ita nullus excipitur, ab obedientia, quæ debetur, Principi. Reſpondeo, in primis ſimilitudinem hanc eſſe valde arrogantem. DEVS enim habet omnem poteſtatem in cælo & in terra, & eſt rerum omnium mortalium, & immortalium Dominus, cum omnia vnus creauerit, homines autem eatenus poteſtatem habent, quatenus cum illis à Deo communicata fuit, & debent eam eatenus exercere, quatenus illis data fuit, ſi illis data fuit in temporalibus, debent eam in temporalibus exercere, ſi in ſpiritualibus, in

ſpiri

175

ſpiritualibus,ſi in laicos, in laicos, ſi in eccleſiaſticas perſonas, in eccleſiaſticas, ſi in vtrasque,in vtrasque. Dico deinde etiamſi veriſſimum eſſet, quemadmodũ nullus ab obedientia, quam Deo debet, excipitur, ita nullum ab obedientia, quæ Principi debetur, excipi. Non propterea tamẽ concludi ſecularem Venetorum poteſtatem ad eccleſiaſticas perſonas extendi. Sed eſſe manifeſtam petitionẽ principij, etenim ita demum ſimilitudo concludet, ſi probatũ fuerit Principem eſſe Principem etiam perſonarum eccleſiaſticarum, quod non modo nunquam probatum fuit,ſed nunquam probari poterit, cum ſit falſum.

Neque quidquam facit, quod Principes in ſacris literis Dij metaphoricè appellentur, & non hominum, ſed Dei iudicia exercere dicantur. Dij enim appellantur, & Dei miniſtri ſunt, & diuinæ prouidentiæ cum in adminiſtranda iuſtitia, tum in alijs muneribus obeundis ſuo modo cooperantur, non autem, quia quemadmodum à diuina obedientia nulli excipiuntur, ita nulli ab ea quę ſecularibus Principibus debetur, obedientiâ excepti intelligantur.

Quæ ad huius rationis confirmationem libelli auctor à Diuo Paulo ad Rom. 13. ſumit de gladio, de tributo, de diuina ordinatione &c. ſupra explicata ſunt, omnia enim locum habent, poſito quod aliquis ſit, Princeps, & alter ſit illius ſubditus, & ideo in perſonis eccleſiaſticis, quæ Principi ſeculari ſubiectæ non ſunt, locum ſibi non vendicant.

Quod autem ex prouerbijs Salomonis ad eandem confirmationem adducitur. Per me Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt &c. id penitus contrarium eſt Venetis, ſignificat enim Reges, & legum conditores debere in humilitate ſpiritus ambulare, cum quod regnent, & quod iuſta decernant, id non ex ſe, ſed ex diuina gratia habeant, ac propterea debent eorum, qui diuino cultui inſerui-

ſeruiunt, qui certe eccleſiaſtici ſunt, reuereri & obſeruare, non autem illorum libertatem quemadmodum faciunt, opprimere.

Quæ ad eandem confirmationem dicuntur de legibus à Theodoſio, & nonnullis alijs Chriſtianis Imperatoribus circa perſonas, res, & diſciplinam eccleſiaſticas promulgatis. Iam ſupra exploſa ſunt, ij enim falcem in alienam meſſem immiſerunt, in quo vel contra eccleſiam peccarunt, vel diuini iuris ignorantia excuſari debent.

Denique quod ad eandem confirmationem dicitur Prælatos eccleſiaſticos poteſtatem puniendi pœna ſanguinis non habere, ac propterea, ſi quos clericos ſuos malefactores compererint, eos degradare, & longius ipſos non progredi, ſed reos, vt morte puniantur, brachio ſeculari tradere. Id partim falſum eſt, partim Venetis ipſis contrarium nam falſum eſt Prælatos eccleſiaſticos non habere poteſtatem puniendi pœna ſanguinis, duplicem enim gladium eccleſia habet, qui duplex gladius nihil aliud eſt, quam poteſtas inferendi pœnam ſpiritualem, & pœnam temporalem, quemadmodum ſuo loco explicabo. Venetis vero contrarium eſt, quia Prælatos eccleſiaſticos tradere brachio ſeculari puniendos eos clericos, quos degradauerint, quosq; ipſi ob decentiam quandam punire nolũt, non arguit Prælatos eccleſiaſticos eſſe ſubiectos Principibus ſecularibus, ſed contrarium, videlicet Principes ſeculares eſſe ſubiectos Prælatis eccleſiaſticis, & eſſe illorum miniſtros.

EXA-

176

EXAMINATVR, ET REFVTATVR SECVNDA PROPOSITIO.

SECVNDA propoſitio eſt, Chriſtus Saluator noſter, quamuis tanquam filius Dei æqualis Patri eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, tamen qua ratione homo eſt, tam ante mortem, quam poſt ſanctiſſimam illius reſurrectionem nõ exercuit poteſtatem Principis temporalis, nec habuit Regnum temporale.

Hæc propoſitio tres habet partes.

Prima eſt, Chriſtus, qua ratione Deus eſt, eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Secunda eſt, Chriſtus qua ratione homo eſt, non exercuit poteſtatem Principis temporalis.

Tertia eſt, Chriſtus, qua ratione homo eſt, non habuit Regnum temporale.

Prima huius propoſitionis pars ipſa per ſe nota eſt, & propterea in ea probanda libelli auctor non laborat. Secũdam autem, & tertiam partem, quæ nonnihil difficultatis habent, primo quinque rationibus probare conatur, deinde eaſdem aduerſus nonnulla ſacrarum ſcripturarum loca, quæ contra illas proferri videbantur, tueri contendit.

Quoniam autem libelli auctor Chriſtum nobis non modo omni temporali poteſtate nudatum depinxit, ſed eum etiam temporali poteſtati ſubiectum fecit, neque interim vllam ei ſaltem ſpiritualem poteſtatem ex profeſſo attribuit, operæ precium facturus videor, ſi antequam ad ea explicanda accedam, quæ in hac propoſitione implicata, & inuoluta proponuntur, quam poteſtatem Chriſtus habuerit, breuiter, & dilucide, declararo.

De Spirituali Chriſti poteſtate.

§. primus.

CHRISTVS quatenus homo, eſt Rex Eccleſię, quę partim in hoc mundo militat, partim in cœlo triumphat, & hoc appellatur Regnum Meſſiæ, cuius virtute & nunc in cælo poteſt, & antequã ex hac vita excederet, in hoc mundo potuit ea omnia facere quæ ad ſpiritualem eccleſiæ finem conſequendum accommodata fuiſſent. Ac propterea non modo leges ad huiuſmodi finem conſequendum neceſſarias ferre, ſacramenta inſtituere, Miniſtros ad eccleſiam regendam cum opportunis facultatibus ordinare, ceteraque omnia, quæ memorato fini conſequendo vtilia eſſent, expedire, ſed etiam Principes temporales, ſi ita idem finis poſtularet, deponere, aliosque in eorum locum ſubſtituere, & Dominos rerum ſuarum dominijs priuare, ac denique de quibuscunque rebus temporalibus ad eundem finem diſponere potuit.

Quod Chriſtus ſit Rex eccleſiæ probatur ex illo Pſal. ſecundi. Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius &c. per Sion enim eccleſia intelligitur. Idem probatur ex illo Apocalypſis, 19. nu. 16. vbi loquens Ioannes de Chriſto, dicit, & habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum & Dominus Dominantium.

Quod autem Chriſtus virtute huius ſui ſpiritualis Regni poteſtatem habeat non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, quatenus illorum diſpoſitio ad promouendum ſupernaturalem eccleſiæ finem accommodata eſt, probatur ex eod. Cap. 19. Apocal. n. 15. vbi de Chri-

ſto his ipſis verbis loquitur. Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus, vt in ipſo percutiat gentes, & ipſe reget eas in virga ferrea, & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis &c. probatur etiam ex D. Paulo, ad Epheſios, 1. nu. 22. & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput ſupra omnem eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Ex hac doctrina elicio, quod Chriſtus, etiamſi concederemus nullam eum poteſtatem temporalem habuiſſe, ſed ſolam ſpiritualem, nihilominus tamen potuiſſet ſummo Pontifici temporalem poteſtatem dare, ſi talis poteſtatis dationem ad promouendum ſpiritualem eccleſię finem neceſſariam eſſe iudicauiſſet.

De Chriſti in omnes res creatas excellentiæ poteſtate.

§. 2.

CHRISTVS præter ſpiritualem poteſtatem, qua potuit omnia facere, quæ ad ſupernaturalem eccleſiæ finem accommodata erant, habuit etiam quandam excellentiæ poteſtatem in res omnes creatas, qua de rebus omnibus diſponere potuit non ſolum quatenus ſupernaturalis eccleſię finis exigebat, ſed etiam pro ſuo libero, ſine vlla ordinatione ad vitam æternam. Hac poteſtate potuit Regna mundi Regibus auferre, & ea ſibi attribuere, vel alijs donare, potuit rerum dominos ſuis dominijs priuare, & illa pro ſe capere, vel alijs aſſignare.

Quod Chriſtus hanc excellentię poteſtatem in omnes

Digitized by Google

res creatas habuerit, patet ex Pſalmo 8. omnia ſubieciſti ſub pedibus eius &c. quem locum ſanctus Paulus 1.ad Corinth. 15.num.26. de Chriſto interpretatur, & per omnia, intelligit res omnes creatas, habet enim hæc verba. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius. Cum autem dicat, omnia ſubiecta ſunt ei, ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia &c. Hoc autē non poteſt verificari de ſpirituali Chriſti poteſtate, quia illa refertur ad ſpiritualem eccleſiæ finem & ita finis ille eſt quodam̄odo ſuperior poteſtate ſpirituali Chriſti. Cum poteſtas huiuſmodi eatenus ſe extendat, quatenus finis ille patitur, quemadmodum Regia poteſtate ſuperius videtur bonum commune totius Reip. cum Regia poteſtas ad bonum Reipublicæ commune ordinetur, non è contrario bonum com̄une ad Regiam poteſtatem. Ac propterea cum Diuus Paulus ſimpliciter affirmet omnes res creatas ſubiectas eſſe Chriſto, neceſſario ſignificat, in Chriſto præter ſpiritualem poteſtatem ineſſe etiā quandam aliam eamque multo magis abſolutam, & liberam poteſtatem, quam Theologi excellentiæ poteſtatem appellant, eamque Chriſto attribuunt, quia ad illius dignitatem, & excellentiam pertinere, ſeu neceſſariam eſſe exiſtimant.

Cum hac excellentiæ poteſtate Chriſti in res omnes creatas ſtat, vt nihilominus rerum dominia, & iuriſdictiones ſint apud mortales, quemadmodum cum ſupremo illo Præpotentis Dei dominio ſtat vt nihilominus ipſi quoque homines rerum domini ſint, ac Principatus varios habeāt.

Chriſtus etiam virtute huius excellētiæ poteſtatis potuit ſum̄o Pontifici temporalem poteſtatem tradere, idque abſolute etiam ſine vlla relatione ad ſpiritualem eccleſiæ finem.

Exami-

118

Examinatur prima ratio, qua libelli auctor probare contendit Chriſtum non habuiſſe Regnum temporale.

§. 3.

PRIMAM rationem ſtatuit libelli auctor ex Euangelio Ioannis, Cap. 18. n. 34. & tribus ſequẽtibus, vbi cum interrogatus fuiſſet Chriſtus à Pilato, tu es Rex Iudęorum? reſpondit. Regnum meũ non eſt de hoc mundo &c. quod idem eſt ac ſi dixiſſet. Regnum meum non eſt temporale. Atque ideo Chriſtus ipſe perſpicue negaſſe videtur ſe habuiſſe poteſtatem temporalem.

Quamuis tota iſta diſputatio, vnum Chriſtus habuerit poteſtatem temporalem, ſi, vt ſonãt verba, accipiatur, omnino impertinens ſit ad id, quod nunc agitur, cum etiamſi Chriſtus poteſtatem temporalem nõ habuiſſet, nihilominus tamẽ virtute ſolius ſpiritualis poteſtatis & ipſe de temporalibus diſponere, & ſummo Pontifici poteſtatem de temporalibus diſponendi tradere potuiſſet, & propterea ſuperuacaneum videatur in his rationibus examinandis laborare, tamen quia nonnulla immiſta fuerunt, quæ maxime impia, & hæretica ſunt, operæprecium erit aliquid etiam his de rebus explicare.

Dico igitur in primis ex loco diui Ioannis allegato nõ concludi. Chriſtum non habuiſſe Regnum temporale. Et ratio eſt, quia Chriſtus eo in loco neque de Regno temporali interrogatus fuit à Pilato, neque ipſe de Regno temporali reſpondit, atque eo in loco neque affirmatum, neque negatum fuit Chriſtum Regnum temporale habuiſſe. Hoc

auté ſic ſeſehabere patet ex verbis ipſius Euãgeliſtę. Etenim cum Chriſtus interrogatus fuiſſet à Pilato, tu es Rex Iudæorum etc? non ſtatim reſpondit, ſed prius à Pilato quæſiuit. A temet ipſo hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me &c. hoc autem à Pilato antequam ei reſponderet, ſcire voluit, quia ſi Pilatus motu proprio Chriſtum interrogaſſet, cum eſſet gentilis, neque notitiam legis haberet, proculdubio de Regno temporali intellexiſſet, & ideo illi vel affirmando, vel negando reſpondendum fuiſſet, prout videlicet rei veritas vel affirmantem, vel negantem reſponſionem poſtulaſſet. Si autem ex Iudęorum accuſatione hanc interrogationem Pilatus feciſſet, tunc quia ipſe non aliter ſe Regé fecerat, quam quia ſe Meſſiam prædicauerat, interrogatio Pilati fuiſſet de Regno ſpirituali, ac propterea ei reſpondendum fuiſſet pariter affirmando, vel negando, prout videlicet rei veritas poſtulaſſet. Sed tamen reſponſio declaranda fuiſſet, ne Pilatus Chriſtum ſe Regem temporalem Iudæorum facere crederet. Cum igitur Pilatus reſpondiſſet Chriſto. Nunquid ego Iudæus ſum? Gens tua, & Pontifices tradiderunt te mihi &c. Chriſtus intellexit ſe interrogari de Regno ſpirituali, ac propterea ita reſpondit ſe eſſe Regem, vt ſimul declarauerit Regnum ſuum eſſe ſpirituale, cum dixerit, Regnum meum non eſt de hoc mundo &c. Quare patet Chriſtum eo loco de ſolo ſpirituali Regno & interrogatum fuiſſe, & reſpondiſſe, de temporali autem Regno nullum neque à Chriſto, neq; à Pilato verbum factum eſſe, & ideo ex hoc loco colligi non poteſt, vtrũ Chriſtus Regnum temporale habuerit, an non.

Dico deinde etiamſi ex hoc vel alio ſacrarum ſcripturarum loco colligeretur Chriſtum Regnum temporale non habuiſſe, non propterea ſequi poteſtatem temporalé ſummo Pontifici ab illo traditam non fuiſſe, potuit enim ſimi-

179

ſimilis poteſtas ſummo Pontifici à Chriſto tradi & virtute ſpiritualis poteſtatis, quam Chriſtum habuiſſe exploratũ eſt, & virtute illius excellentiæ poteſtatis, quam eundem Chriſtum habuiſſe probatum fuit.

Examinatur ſecunda ratio qua libelli auctor idem probare contendit.

§. 4.

SECVNDA ratio ſumitur ex euangelio Ioannis, Cap. 6. n. 14. vbi cum illa millia hominum, quæ à Chriſto quinq; panibus hordeaceis, & duobus piſcibus ſaturata fuerant, conſilium cepiſſent ad Ieſum accedere, & eundem rapere, & Regem facere, dicitur Chriſtum fugiſſe in montem &c.

Hæc ratio nullius prorſus momenti eſt ad probandum Chriſtum nõ fuiſſe Regem temporalem. Non enim ſequitur, Chriſtus noluit creari Rex à populis, ergo non fuit Rex, etenim ſi Chriſtus fuiſſet Rex temporalis hoc ipſo pati non debuit, vt à populis crearetur, ne videlicet Regnum quod ex ſe habebat, ab alijs accipere videretur, & propterea in iſta ratiocinatione ineſt fallacia conſequentis, quotieſcunque enim quis à propoſitione, quæ poteſt habere varias cauſſas ſuæ veritatis, arguit ad vnam illarum cauſſarum præciſe, tunc in fallaciam conſequentis incidit, ſicuti omnibus vel mediocriter in logica eruditis manifeſtum eſt. Cum ergo fieri potuerit, vt Chriſtus in montem ſolus aufugeret, aut quia Regnum temporale ſimpliciter contemneret, aut quia Regnum, quod ipſe ex ſe haberet, ab alijs agnoſcere recuſaret, ſi quis ex ea Chriſti fuga Chriſtum Regem temporalem non fuiſſe abſolute, & præciſe intulerit, is in conſequen-

ſequentis fallaciam, ſeu captionem incidiſſe conuincetur.

Hæc dixi vt oſtēderem quam belle, & quam ſcite libelli auctor more ſuo argumentatus ſit. Iudico enim Chriſtum ob neutram illarum duarum cauſſarum in montem aufugiſſe, quamuis reuera vtraque iuſta aufugiendi cauſſa eſſe potuerit. Duæ ergo, vt exiſtimo, eæque valde egregiæ illius fugæ cauſſæ fuerunt, prima fuit, quia Chriſtus, quæ faciebat, non ad alium finem, quam ad humani generis ſalutem referebat. Si autem Regnum acceptaſſet a populis, non iam quæ Dei ſunt quærere, ſed ſuas ipſius, easque caducas commoditates aucupari viſus eſſet. Altera cauſſa fuit, quia cum populi illi ſuum Principem haberent, in illorum poteſtate non erat Principem, quem habebant, Principatu ſpoliare, ſeſeque alij Principi ſubijcere. Nauarrus in Cap. Nouit de Iudicijs, not. 3. n. 161.

Examinatur tertia ratio ad idem.

§. 5.

TERTIA ratio ſumitur ex Euangelio Lucæ: ca. 12. nu. 13. vbi cum quidam de turba Chriſto dixiſſet. Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem &c. ipſe Chriſtus reſpondit. Quis me conſtituit Iudicem aut diuiſorem ſuper vos? &c. At ſi Chriſtus fuiſſet Rex temporalis, non indiguiſſet, vt ab vllo iudex in illa cauſſa conſtitueretur. Reges enim non modo ipſi per ſe iudicare, ſed alios etiam iudices dare poſſunt.

Hæc ratio non probat Chriſtum non fuiſſe Regē temporalem, aliud eſt enim Chriſtum negare ſe eſſe Regem temporalem, aliud Chriſtum velle, vt plebeius aliquis dicat,

180
cat, à quo ipſemet Chriſtus iudicandi ſeu regnandi poteſtatem acceperit, huiuſmodi reſponſiones enim Chriſtus aliquoties fecit, quibus non ſe qualitatem aliquam habere negauit, ſed eos quibuſcum loquebatur, ad eam qualitatẽ confitendam excitauit, hoc patet in muliere Chananea, Matth. 15. nu. 22. & in alijs etiam.

Examinatur quarta ratio ad idem.

§. 6.

QVARTA ratio ſumitur ex illo Ioannis, cap. 19. nu. 10. vbi cum Pilatus dixiſſet, neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? &c. Reſpondit Ieſus. Non haberes poteſtatem aduerſus me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper &c. Vnde cum Chriſtus agnouerit Pilatum Cæſaris Miniſtrum pro ſuo Iudice, ſequitur eum non habuiſſe ſe pro Rege temporali.

Hæc ratio non probat Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem, quia quamuis Chriſtus dixerit, non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper, & ita ſignificauerit Pilatum aliquam in eum poteſtatẽ habuiſſe, illud tamen pariter ſignificauit, poteſtatem illam non iuridicam, & legitimã fuiſſe, ſed fuiſſe meri facti: ſubiunxit enim: Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet, &c. & non modo Chriſtus id ſignificauit, ſed etiam Pilatus ipſe illico idem intellexit, ſubiungit enim Euãgeliſta, & exinde quærebat Pilatus dimittere eum.

Hunc locum aliquanto fuſius tractabo in reſponſo ad libellum, quem ad defendenda Venetorum ſtatuta, & con-

tumaciam contra S. D. N. edidit frater Paulus Seruita Venetæ Reip. Theologus.

Examinatur quinta & vltima ratio ad idem

§. 7.

QVINTA, & vltima ratio ſumitur ex Euãgelio Math. cap. 22. nu. 21. vbi cum Chriſtus interrogatus fuiſſet vtrũ liceret cenſum dare Cæſari an nõ. Reſpondit, reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt DEI, Deo, &c. Quamuis hic locus in ſpecie allegetur à libelli auctore, exiſtimo tamen voluiſſe allegare locum eiuſdem D. Matth. cap. 17. in fine: vbi Chriſtus præcepit ſolui tributũ pro ſe, & Petro, & ita ſignificauit, ſe fuiſſe ſubiectum Cæſari, cum tributa ſoluantur à ſubditis ex D. Paulo ad Rom. 13. nu. 6.

Ex hac potiſſimum ratione colligitur, & quanta diligentia libelli auctor vſus fuerit in allegandis ſacrarum literarum teſtimonijs, cum vnum pro alio allegauerit. Et qua pietate in ipſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum excelluerit, cum illum Cæſari ſubiecerit, atque ad tributum illi ſoluendum contra expreſſa ſacrarum literarum verba obligatum fuiſſe affirmarit, atque adeo pertinaciter defenderit.

Quod igitur locum ſacræ ſcripturæ pro loco allegarit duobus modis probari poteſt. Primo quia locus ille Math. 22. impertinentiſſimus eſt ad probandum Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem. Si enim Chriſtus cum iuſſit, vel potius licitum eſſe declarauit ſoluere tributum Cæſari, per Cæſarem intellexit illum ſolum ſingularem hominem, qui

181

qui tūc temporis imperabat, nihil ex eius dicto colligi poteſt ad probandum Chriſtum non fuiſſe Regem temporalem, etenim etiamſi Chriſtus Rex temporalis fuiſſet, nihilominus tamen licitum fuiſſet cenſum memorato ſingulari homini ſoluere, cum cōmuniter pro Imperatore agnoſceretur. Si autem per Cæſarem intellexit generatim Principem ſecularem, tunc multò impertinentior eſſet locus ille, poſito enim quod Chriſtus eſſet Rex temporalis, ſibi ipſi tributū ſolui declaraſſet; & ita ex eo loco non poteſt vllo modo inferri Chriſtum ſignificaſſe ſe non fuiſſe Regem temporalem. Secundo idem probatur, quia ipſe libelli auctor dicit Chriſtum iuſſiſſe, vt tributum Principi ſeculari ſolueretur, qui iuſſus non habet locum in teſtimonio Matth. 22. quamuis enim Chriſtus dixerit. Reddite &c. non tamen iuſſit, ſed tributi ſolutionem licitam eſſe declarauit: ſicut à Iudæis interrogatus fuerat. At Matth. 17. vere iuſſit. Adde quod etiamſi vere iuſſiſſet etiam Matth. 22. nō tamen iuſſiſſet, vt ſolueretur pro ſe ipſo, quod neceſſarium eſt ad inferendam ſubiectionem in Chriſto.

Vt autem videamus libelli auctorem, dum Chriſtum Principis ſecularis ſubditum facit, contra Euangelij verba loqui, ipſum textum hic adſcribam, qui ſic habet. Acceſſerunt, qui didrachma accipiebant, ad Petrū & dixerunt ei, Magiſter veſter non ſoluit didrachma? Ait, etiam. & cum intraſſet in domum, præuenit eum Ieſus dicens. Quid tibi videtur, Simon. Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis? Et ille dixit, ab alienis, dixit illi Ieſus, ergo liberi ſunt filij. Vt autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem; qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me, & te, &c. Hactenus euangelium, ex quo luce meridiana clarius eſt Chriſtum

ſignificaſſe ſe non fuiſſe obligatum ad ſoluendum tributũ, ſed illud ob eam ſolam cauſſam ſoluiſſe ne tributi exactores ſcandalizarentur. Id quod manifeſtius fiet, ſi ea refutata fuerint, quæ ad euadendam huius diuini teſtimonij vim à libelli auctore confinguntur.

Duobus igitur modis conatur Chriſti ſubiectionem ſub Cæſare contra clariſſimum euangelij textum defendere.

Primo enim, quoniam Chriſtus dixit filios eſſe liberos à ſoluendo tributo, ipſe reſpondet homines illius prouinciæ, qui ex opinione, vt ipſe ait, quorundam doctorum, quos videlicet non ſine aliquo myſterio non nominat, filiorum nomine nuncupabantur, non fuiſſe obligatos ad ſoluendum cenſum, & ideo cum & Chriſtus & Petrus eſſent homines illius prouinciæ, neutrum obligatum fuiſſe ad illum cenſum ſoluendum, &c. Hæc interpretatio in primis eſt contra verba & mentem Chriſti, deinde etiamſi vera eſſet, ipſi tamen auctori repugnaret. Quod igitur textui euangelij contraria ſit, patet, primo quia Chriſtus eo loci locutus fuit generatim de Regibus terræ, non autem de illo Principe particulatim, qui in Iudæa dominabatur, ergo neceſſarium eſt dicere Chriſtum locutũ eſſe de quadam exemptione, quæ in omnibus terræ Principatibus locum haberet, & non in ſola Iudęa. Deinde Chriſtus non ſimpliciter dixit Reges terræ non accipere tributum à filijs ſed addidit pronomen poſſeſſiuum: ſuis: quod genus loquendi in ſolos Regum filios quadrat, non autem prouincialibus hominibus accommodari poteſt. Denique Chriſtus ſignificauit periculum fuiſſe ne ſcandalizarẽtur tributi exactores, ſi ipſe illud ſoluere recuſaſſet. At ſi prouinciales homines à ſoluendo tributo exempti erãt, & Chriſtus erat homo prouincialis, ne minimum quidem ſcandali periculum

lum fuiſſet, ſi ſuam quæ illi cum omnibus alijs hominibus prouincialibus communis erat, exemptionem allegaſſet. Quod autem etiamſi vera eſſet interpretatio huiuſmodi, ipſi tamen libelli auctori repugnaret, probo, quia hæc ipſa interpretatio concedit Chriſtum fuiſſe exemptum à ſolutione tributi, & illud ſoluiſſe ad euitandum ſcandalum. At auctoris intentio eſt oſtendere Chriſtum fuiſſe Cæſari ſubiectum, & ad cenſum illi ſoluendum obligatum, vt patet ex ipſius verbis, igitur omnis interpretatio huius loci, per quam ſignificabitur Chriſtum fuiſſe à tributo ſoluendo exemptum, illi contraria erit, & certe ipſemet libelli auctor ſuam iſtam interpretationem parum probat, ac propterea ſecundam, quam ipſe meliorem dicit, ſubiungit.

Secundo igitur modo conatur libelli auctor oſtendere, quamuis Chriſtus dixerit, ſe non fuiſſe obligatum ad ſoluendum Cæſari tributum, nihilominus tamen ex hoc non ſequi, eum Cæſari ſubiectum non fuiſſe, inquit enim Chriſtum eo loco innuere voluiſſe ſuam ſanctiſſimam diuinitatem, ac dicere ſe tanquam Dei filium obligatum non fuiſſe ad ſoluendum tributum, ſed quoniam huiuſce rationis allegatio continebat nimis altum, & profundum ſacramentum, cuius incapaces erãt illi Principis exactores, ſubiunxiſſe: ſed ne ſcandalizemus &c. Hæc videlicet eſt aurea illa interpretatio, in qua ſibi bene complacuit libelli auctor, & in qua defatigatus illius animus poſt multum laborem mirifice conquieuit. Aſt ego, qui primam interpretationem ineptiſſimam eſſe monſtraui, hanc tamen multo ineptiorem eſſe monſtrabo. etenim poſita hac interpretatione, quæram à libelli auctore, vtrum Chriſtus quatenus homo obligatus fuerit ad ſoluendum tributum, an non? ſi dixerit Chriſtum quatenus hominem obligatum non fuiſſe ad ſoluendum tributum, ſibi ipſi contradicet, ſuam

ipſemet impietatem coarguet. Si autem dixerit, Chriſtum quatenus, hominem obligatum fuiſſe ad ſoluendũ cenſum, quæram ab iſto bono homine, quomodo Chriſtus iuſte ſub prætextu, quod Dei filius eſſet, recuſare potuerit, quo minus ſolueret illum cenſum, qui ab eo tanquam homine exigebatur, & ad quem ſoluendum ipſe tanquam homo tenebatur?

Examinatur quædam libelli auctoris obſeruatio de vitando ſcandalo Miniſtrorum Principis ſecularis.

§. 8.

AIT libelli auctor ex memorato euangelij loco manifeſte colligi, quanti æſtimauerit Saluator noſter, ne Miniſtros Principis ſecularis ſcandalizaret allegando quandam veram, & realem, ſed non ab illis intellectam exemptionem. Vult videlicet bonus vir, niſi aliquid me fallit, ſignificare, etiamſi millies exempti ſint clerici, & clericorum bona, nihilominus ſummum Pontificem, ne Venetos, vel illorum Miniſtros ſcandalizet, tolerare debere, vt Veneti clericos, & clericorum bona in ſeruitutem redigant. Id enim faciens Chriſtum, cuius eſt Vicarius, imitabitur, & laudem etiam apud Venetos, viros valde bonos, ſed Idiotas, & eccleſiaſticam libertatem nondum cognoſcentes conſequetur.

O mirabilem Theologiam, o diuinam tanti Doctoris ſapientiam, nullus enim ab orbe condito Theologus, nullus ſapiens extitit, qui tam inauditam, tam nouam, tam incredibilem nobis Theologiam, ac ſapientiam protulerit. Omnes enim ſemper ad hæc vſque tempora ſenſerunt, & iudica-

iudicarunt alia ratione agendum eſſe cum ijs, qui legem aliquam, antequam promulgata ſit, violant, alia cum ijs, qui legem poſtquam non modo promulgata, ſed etiam plurimorum ſeculorum vſu comprobata fuit, perfringũt. Cum enim lex nondum promulgata eſt, etiamſi millies iuſta ſit, homines tamen ad illius obſeruationem adſtringi non debent. poſtquam autem lex promulgata eſt, & vſu populorum recepta, tunc homines ad illius obſeruationẽ adſtringi, & ſi qui contumaces ſint, pœnis etiam capitalibus coerceri debent. Hanc ſcilicet agendi rationem veræ philoſophiæ, ac veræ Theologiæ conſentaneam eſſe hactenus homines iudicarunt. At nunc tandem poſt tot annorum ſecula emergit noua quædam philoſophia, noua quædam Theologia in lucem venit, qua nobis præcipitur, vt illo eodem modo agamus cum hominibus, qui poſt legis promulgationem, & diuturnum vſum non ſolum legi non obediunt, verum etiam legẽ ipſam oppugnant, eamq; iniuſtã, & diuino atq; humano iuri contrariã eſſe contendunt, quo modo cũ illis agimus, quos legem aliquam antequã promulgaretur, tranſgreſſos cõperimus. Etenim certũ eſt, quo tẽpore Chriſtus præcepit pro ſe & Petro tributum ſolui, nondũ illius exemptionem promulgatam fuiſſe, nondũ homines illius notitiam habuiſſe, eius enim exemptio talis eſt, vt iure naturali ei nota eſſe non poſſit, qui Chriſtum Meſſiam fuiſſe nondum cognouit. At nunc lex quę clericos eximit, adeo nota eſt, vt etiam antequam

Veneti in rerum natura eſſent,

obſeruari cœ-

pta ſit.

Quare

*Quare cetera, quæ ad hanc propoſitionem ful-
ciendam coaceruauit libelli auctor
non examinentur.*

§. fin.

DVBITAVIT libelli auctor, ne iſta illius propoſitio à nonnullis euerteretur allegatis quibuſdã ſacrarum ſcripturarum locis, ac propterea ipſe eos præuenire voluit, & ea ſacrarum literarum loca, à quibus nonnihil periculi impendere videbatur, multò ante explicare. Quamuis autem in his multa abſurda, & rudia ſint, quia tamen ad id, quod nunc agitur, nihil faciunt, ea ſilentio præterire conſtitui.

EXAMINATVR, ET REFVTATVR TERTIA PROPOSITIO.

TERTIA propoſitio. Quoniam Chriſtus auctoritatem Principis temporalis non exercuit, æquũ non eſt dicere, hanc auctoritatem Diuo Petro & illius ſucceſſoribus qui Chriſti Vicarij ſunt, relictam fuiſſe, cum Vicarius non ſit maior ſuo Principali.

Auctoris intentio in hac propoſitione eſt oſtendere temporalem poteſtatem ſummo Pontifici non competere. Quod quamuis fortaſſe aliquo modo defendi poſſit, quia tamen materia hęc à libelli auctore non ſolum perperam, ſed etiam erronee, & quaſi hæretice, immo vere hęretice

tice tractatur. Ideo neceſſarium duxi aliqua de ſumi Pontificis auctoritate breuiter explicare.

Summi Pontificis poteſtas directe ſe extendit tam ad res temporales quam ad ſpirituales.

§. primus.

VT veritas huius dicti eluceat, animaduertendum eſt aliud eſſe poteſtatem eſſe temporalẽ, aliud poteſtatem poſſe de rebus temporalibus diſponere. Poteſtas enim temporalis dicitur, quæ hunc finem ſibi propoſitũ habet, vt homines ad temporalem finẽ regat. Poteſtas autem dicitur poſſe diſponere de rebus temporalibus, quando eum finem propoſitum habet, cui rerũ temporaliũ vſus, & diſpoſitio inſeruire debet, quamuis ipſe finis temporalis non ſit.

Hoc poſito probatur primo, quod poteſtas ſummi Pontificis tam ad temporales, quam ad ſpirituales res ſe extendat, hoc modo. Summi Pontificis poteſtas ad ea omnia ſe extendit, quæ illi fini inſeruire debent, ad quem homines à ſummo Pontifice reguntur. At non ſolum res ſpirituales, ſed etiam res temporales inſeruire debent illi fini, ad quem homines à ſummo Pontifice diriguntur. Ergo ſummi Pontificis poteſtas non ad ſolas res ſpirituales, ſed etiam ad temporales ſe extendit. Maior patet ex Ariſtotel. primi eth: 1. vbi ex eo concludit, Artem equitandi poſſe imperare arti fræna faciendi, quia res ſubiectæ arti fræna faciendi inſeruire debent ei fini, ad quem tendit ars equitandi. Minor etiam patet, quia poteſtas ſummi Pontificis hunc finem ſibi propoſitũ habet, vt homines ad æternam

beatitudinem dirigat, cui quidem beatitudini res omnes humanas inſeruire debere exploratiſſimum eſt.

Probatur ſecundo, quod memorata ſummi Pontificis poteſtas etiam ad res temporales directè ſe extendat hoc modo. Illa poteſtas directè ſe extendit ad res temporales, quæ ipſa per ſe, & immediate de rebus temporalibus diſponere poteſt. At ſummi Pontificis poteſtas ipſa per ſe & immediate diſponere poteſt de rebus temporalibus. Ergo &c. Maior patet, quia directè ſe extendere ad res temporales, nihil aliud eſt, quam immediate ſupra res temporales cadere, aut immediate res temporales pertingere. Hinc in iure verba directa ea appellantur, quibus hæreditas legatumue immediate à defuncto tranſit ad illum, penes quem defunctus vult ea reſidere. Obliqua autem verba appellamus ea, quibus hæreditas legatumue mediante aliqua tertia perſona tranſit à defuncto ad illum, cui defunctus dari vult. Minor autem facile probatur, quia ſummus Pontifex virtute ſuæ poteſtatis poteſt manus immediate ad eas res mittere, quarum diſpoſitio ad finem æternæ beatitudinis ſeruit, alias enim illius auctoritas eſſet manca, certũ eſt autem rerum temporalium diſpoſitionem ſæpiſſime eſſe medium efficaciſſimum ad amouendum homines à peccatis, & traducendum eoſdem ad virtutes.

Non obſtat, quod dicitur ſummum Pontificem non poſſe diſponere de rebus temporalibus, niſi quatenus finis ſpiritualis poſtulat. Quia hoc non arguit poteſtatem ſumi Pontificis indirectè ſe extendere ad temporalia, ſed tantummodo probat eam poteſtatem eſſe limitatam, id eſt ſummum Pontificem non eſſe abſolutum dominum rerum temporalium, ſed poſſe de illis diſponere vſque ad certam quandam menſuram, videlicet quatenus finis ſpiritualis exigat, ſicuti etiam Principes ſeculares poſſunt diſ-

ponere de eiſdem rebus temporalibus, quatenus bonum commune Reipublicæ poſtulat, & non plus, neque tamen propterea illorum poteſtas indirectè ſe extendit ad temporalia, immo directe, cum ipſa per ſe ſola, & immediate de illis diſponat. Et certe ſi rem hanc attentius conſiderauerimus, comperiemus res temporales æque immediate ſubiectas eſſe poteſtati ſummi Pontificis ad finem ſpiritualem, & poteſtati Principis ſecularis ad finem temporalem, & quemadmodum poteſtas ſummi Pontificis limitata eſt, ne de rebus temporalibus diſponere poſſit vltra exigentiã finis ſupernaturalis; ita limitatam eſſe Principis ſecularis poteſtatem, ne de eiſdem rebus temporalibus diſponere poſſit vltra finis temporalis exigentiam.

Poteſtatem ſummi Pontificis hactenus explicatam eſſe merè ſpiritualem.

§. 2.

QVAMVIS poteſtas ſummi Pontificis hactenus explicata ad res temporales directe ſe extendat, ipſa tamen non modo in ſe, ſed etiam in ſuo vſu eſt mere ſpiritualis.

Ac quidem quod ipſa in ſe ſpiritualis ſit, patet ex definitione rei ſpiritualis prolata à Nauarro in ſumma Cap. 23. nu. 99. §. Quare omiſſo ſtilo &c. vbi affert hanc definitionem: ſpirituale eſt donum ſupernaturale à Deo datum ad animarum ſalutem, vel aliquid aliud inſtitutum ſupernaturaliter ab eodem ad eam efficiendam, vel ab eccleſia poteſtate ſuper naturali, & gratis ſibi data ad conficiendũ illud & gratis dandum &c. prima enim pars huius definitionis conuenit poteſtati ſummi Pontificis in ſe ſpectatæ,

Digitized by Google

eſt enim donum ſupernaturale à Deo datum ad animarum ſalutem, quando videlicet Petro dictum fuit. Paſce oues meas. Quod autem eiuſdem poteſtatis vſus etiam dum ſe ad res temporalis extendit, ſit mere ſpiritualis, probatur. Primo quia eſt actus poteſtatis, quæ ipſa in ſe eſt mere ſpiritualis. Deinde quia ad finem ſpiritualem refertur, finis autem non modò bonitatem, vel deformitatem actui dat. Azorius lib. 2. moralium inſtitut. Cap. 2. ſed etiam illius ſpeciem mutat. Idem auctor eodem lib. Cap. 4.

Vtrum ſummus Pontifex, qua ratione Pontifex eſt, habeat poteſtatem mere temporalem.

§. 3.

LIBELLI auctor dicit à nonnullis citari canones ad probandum ſummum Pontificem habere poteſtatem Principis ſecularis. Ipſe autẽ dicit hos canones, cum ſint leges humanæ, non habere parem vim in concurſu legum diuinarum. Atque ita videtur ſignificare Canones hac de re loquentes eſſe iuri diuino contrarios, additque illorum doctrinam eſſe ſcandaloſam, & parum fundatã, qui ſine vlla ratione, vel auctoritate noui teſtamenti auſi fuerunt affirmare Papam eſſe dominum totius orbis directe in temporalibus.

De huius hominis inſania, dum ſacros canones adeo floccifacit, vt eos ne reſponſione quidem dignos iudicet, & perinde, ac ſi diuino iuri in hac materia contrarij ſint, reſpuendos putet, nihil neceſſe eſt dicere, ſatis ſuperque patefacta, & refutata eſt à Domino Cardinale Bellarmino, cuius opuſculum ſane quam eximiæ eruditionis, & ſingu-

laris

186

laris ſapientiæ plenum, quod contra hunc libellum edidit, & maximo cum animi mei fructu legi, & omnibus, qui Catholicæ veritatis cognoſcendæ ſtudioſi ſunt, legendum puto.

Illud tamen tacere neque poſſum, neque debeo, me, cum multos canones legerim, qui de hac materia loquuntur, nullum tamen vnquam legiſſe, qui tantum negotij illis facere poſſit, qui ſummum Pontificem iuriſdictionem temporalem habere negant, quantum negotium facere poteſt locus diui Pauli primæ ad Corinthios. 6. in prin. ibi enim Diuus Paulus perſpicue videtur iuriſdictionem mere temporalem Prælatis eccleſiaſticis attribuere, habet enim hæc verba. Audet aliquis veſtrum habens negotium aduerſus alterum iudicari apud iniquos, & non apud ſanctos? An neſcitis, quoniam ſancti de hoc mundo iudicabunt? & ſi in vobis iudicabitur mundus, indigni eſtis, qui de minimis iudicetis? Neſcitis quoniam angelos iudicabimus, quanto magis ſecularia? &c. In hoc enim loco Diuus Paulus loquitur de iudicijs ſecularibus, cum de cauſſis pecuniarijs agat, & loquitur in locis, vbi aderant Principes, & Magiſtratus ſeculares, & nihilominus præcipit, vt Chriſtianorum cauſſæ ad eccleſiam deferantur, & ibidem terminentur. Ergo ſentit eccleſiam nedum ſpiritualem, ſed etiam mere temporalem iuriſdictionem habere, cauſſæ enim temporales iudicari, decidi, & terminari non poſſunt ſine iuriſdictione mere temporali, ſpiritualis enim iuriſdictio omnia agit ad finem ſupernaturalem, deciſio autem cauſſarum temporalium refertur ad finem temporalem. e

Ex his patet eos, qui dixerunt ſummum Pontificem eſſe Dominum orbis in temporalibus, hoc eſt iuriſdictioné temporalem habere, non tradidiſſe doctrinam ſcandaloſam, & parum fundatam, quemadmodum libelli auctor

affirmat, ſed illorum doctrinam non modo in ſacris canonibus, ſed etiam in ſacra ſcriptura fundatam eſſe, atque ita quidem, vt qui contrariam opinionem ſequuntur, multò facilius reſpondere poſſint auctoritati canonum, quam auctoritati ſacræ ſcripturæ. Quæ quidem à me dicuntur, non vt quidquam hac in re pro nunc definiam, ſed vt libelli auctorem non modo ſacrorum canonum imperitum, ſed etiam ipſius teſtamenti noui admodum rudem & ignarum, eſſe oſtendam, eorumque opinionem, qui ſummo Pontifici iuriſdictionem etiam temporalem tribuunt, non à ſolis ſacris Canonibus, ſed multo magis à diuino iure probabiliter deduci poſſe explanem.

Examinantur quæ de Imperij à Græcis ad Francos translatione à libelli auctore dicuntur.

§. fin.

QVONIAM, qui tenent ſummum Pontificem temporalem poteſtatem habere, inter cetera argumenta quibus opinionem ſuam probant, illud quoque allegant, quod Imperium à Græcis ad Francos per ſummũ Pontificem translatum fuit. Ideo libelli auctor, qui nullã ſummo Pontifici temporalem poteſtatem attribuendam putat, ſtatuit huic argumento reſpondere, cuius reſponſionis ſumma eſt. Summum Pontificem non potuiſſe hanc translationem facere, virtute ſuæ ſpiritualis poteſtatis, atq; ideo ſi ſummus Pontifex hanc translationem fecit, de quo ipſe dubitat, ait dicendum eſſe aut ab illis præſtitum fuiſſe conſenſum de quorum intereſſe agebatur, aut etiã ipſum ſummum Pontificem aliquam temporalem iuriſdictioné

de iure humano habere, aut denique translationem huiuſmodi fuiſſe vnam ex illis rebus, quas nonnulli faciunt, qui cur eas faciant, rationem explicare non facile poſſunt.

Quod attinet ad hiſtoriæ veritatem ſatis eſt lectorem ad opuſculum Domini Cardinalis Bellarmini. De translatione imperij &c. remittere, ibi enim certiſſimis plurimorũ hiſtoricorum, Imperatorum, & Romanorum Pontificum teſtimonijs, & efficaciſſimis rationibus liquidiſſime probatum fuit, translationem hanc à ſummo Pontifice factam fuiſſe.

Quatenus autem ſignificat, translationem hanc fieri non potuiſſe à ſummo Pontifice virtute ſpiritualis ſuæ iuriſdictionis, id eſt falſum, & hæreticum puto, ſpiritualis enim poteſtas ſe extendit etiam ad res temporales in ordine ad finem ſpiritualem, vti ſupra probatum fuit.

Immo re vera translatio illa hunc ob finem facta fuit, quia cum tunc temporis Imperator Græcus Italiam per Exarchos regeret, neque eam à Longobardorum incurſibus tueri poſſet, & propterea multa cum in temporalibus, tum in ſpiritualibus detrimenta acciperet, ſummus Pontifex vnius ſpiritualis poteſtatis virtute potuit tantis malis remedium afferre, & re ipſa attulit occidentali Imperio à Græcis ad Francos translato. Nauar. cap. Nouit. de iudicijs, notab. 3. nu. 137.

Quatenus autem ſignificat, fieri potuiſſe, vt ſummus Pontifex translationem quidem hanc fecerit, quo iure tamen fecerit, non facile explicari poſſit, id vero graue ſcelus eſt, dicere ſummum Pontificem rem tanti momenti ſine certo iudicio, ac ſine certo iure, hoc eſt temere, & quaſi caſu feciſſe.

EXA-

EXAMINATVR, ET REFVTATVR QVARTA PROPOSITIO.

QVARTA propoſitio eſt, Auctoritas, quam Chriſtus Saluator noſter ſancto Petro promiſit ſub metaphora clauium, & dedit, eſt mere ſpiritualis. Antequam accedam ad examinanda argumenta quibus nititur libelli auctor iſtam ſuam propoſitionem probare, operæprecium eſt conſiderare ſenſum propoſitionis, nam cum dicit ſummi Pontificis poteſtatem eſſe mere ſpiritualem, aut intelligit eſſe ipſam in ſe ſolummodo ſpiritualem, nihilominus tamen poſſe etiam extendi ad temporalia, quemadmodum ſupra explicatum fuit. Aut intelligit talem poteſtatem non modo in ſe ipſam ſpiritualem eſſe, ſed etiam nullo modo poſſe ſe extendere ad temporalia. Si libelli auctor propoſitionem ſuam hoc ſecundo modo intellexit, dico hanc propoſitionem eſſe hęreticam, neque vllo modo à Catholicis teneri poſſe, cum manifeſtiſſimis Catholicę fidei principijs cõtraria ſit. Si autem primo modo intellexit, tunc quamuis non exiſtimem propoſitionem in tali ſenſu eſſe hęreticam, dico tamen eã non probari ex ijs, quæ a libelli auctore ad illam probandã allegata ſunt, immo exiſtimo contrariam propoſitionem diuino iuri teſtamenti noui, nedum veteris magis conſentaneam eſſe, vt ſupra aliqua ex parte probaui, per locum Diui Pauli, 1. ad Cor. 6. & ſi ita opus fuerit, multo clarius, & euidentius probabitur.

Exami-

Examinatur primum argumentum ad probandam propoſitionem,

§. primus.

AD probandam propoſitionem ſuam allegat in primis locum ex euangelio Diui Matth. cap. 16. nu. 19. vbi Chriſtus loquens ad beatum Petrũ vtitur his verbis, tibi dabo claues Regni cœlorum, non autem dicit Regni terrarum, &c.

Reſpondeo, libelli auctorem non ſine cauſſa tacuiſſe, vbi hæc verba à Chriſto prolata legantur, cum enim non integram Chriſti promiſſionem, ſed certam illius particulam tantummodo proferre, hoc eſt lectorem decipere ſtatuiſſet, ſatius eſſe iudicauit, ſolummodo fraudem facere, non etiam locum, ex quo illius fraus coargui poſſet, indicare. Quare integram promiſſionem Chriſti hic adſcribam; quæ quidem ſic ſe habet. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portę inferi non præualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis &c.

Ex his verbis patet Petro promiſſum fuiſſe Regimen totius eccleſiæ, & tantam tamque efficacem poteſtatem, vt quodcunq; ligaturus eſſet in terra, idem ligandum eſſet & in cælis, & quodcunque ſoluturus eſſet in terra, idem ſoluendum eſſet in cælis. Vtrum autẽ hæc poteſtas ſit mere ſpiritualis ratione finis ad quem refertur, ex hoc loco non colligitur, quia quamuis nuncupetur talis poteſtas vocabulo clauium Regni cælorum, non tamen ſequitur omnẽ poteſtatem, quam ſummus Pontifex habet, immediate ad

ſpiritualem finem referri, ſed ſi quis poſuerit ſummum Pontificem aliquam mere temporalem poteſtatem habere, is tamẽ neceſſario concedet hanc temporalem poteſtatem eſſe ſubiectam ſuapte natura ſpirituali eiuſdem ſumi Pontificis poteſtati & propterea iure optimo ipſam quoque clauium Regni cælorum vocabulo comprehenſam fuiſſe.

Examinatur ſecundum argumentum ad probandum eandem propoſitionem.

§. 2.

PROBAT ſecundo libelli auctor propoſitionem ſuam per Hymnum Eccleſiæ, in quo legitur: Non eripit mortalia, qui Regna dat cæleſtia &c. dicit enim ex his verſiculis patere rationem, quare Chriſtus ſummo Pontifici poteſtatem mere ſpiritualem dederit. Hoc enim ait feciſſe, quia ſi dediſſet ſummo Pontifici etiam poteſtatem mere temporalem, hoc eſt, quę de rebus temporalibus ad finem temporalem diſponeret, poteſtatem temporalem illis, qui iam illam habebant, abſtuliſſet.

Hoc argumentum nihil probat contra eum, qui teneret ſummum Pontificem habere etiam poteſtatem mere temporalem, quia certum eſt poteſtatem mere temporalẽ diſponendi de eadem re poſſe eſſe penes diuerſos in ſolidum, & huius rei infinita exempla habemus. Primo conſtituuntur aliquando duo, aut etiam plures procuratores in ſolidum ad idem negotium expediendum. Secundo ſæpius de vno, & eodem crimine poteſt cognoſci, & iudicari

cari tam in foro eccleſiaſtico , quam in foro ciuili , in quo caſu ſolet eſſe locus præuentioni. Tertio ante translationem Imperij à ſummo Pontifice in perſonam Caroli magni aliquando duo, aut etiam tres Imperatores ſimul fuerunt, qui Imperium ſaltem in nonnullis rebus in ſolidum adminiſtrabant, quemadmodum probat Dominus Cardinalis Bellarminus lib. 1. de translat: Imperij &c. cap.4. non longe à principio: Quarto Chriſtus habet excellentiæ poteſtatem in res omnes creatas, per quam quidem poteſtatem poteſt de rebus omnibus non ſolum ad finem humani generis ſpiritualem diſponere, ſed etiam ad ſuum beneplacitum, & nihilominus cum tali excellentiæ poteſtate ſtat Principum ſecularium poteſtas. Quinto denique Deus habet poteſtatem diſponendi de omnibus rebus quomodocunque voluerit, & tamen propterea ſecularis poteſtas Principibus non aufertur. Quid igitur prohibet, quo minus vere dicamus Chriſtum poteſtatem mere temporalem ſummo Pontifici dediſſe & nihilominus ſuam ſecularibus Principibus poteſtatem non abſtuliſſe?

Examinatur tertium argumentum ad eandem propoſitionem probandam.

§. 3.

TERTIO loco libelli auctor ad probandam ſuam propoſitionem allegat quandam rationem, ex qua manifeſte colligitur quam valde in his rebus examinandis volutatus fuerit. Ait enim ex eo concludi Chriſtum fundaſſe Monarchiam ſpiritualem, quia temporalis Monarchia iam à principio mundi

Digitized by Google

auctoritate ſummi Monarchæ DEI fuerat fundata.

Hoc videlicet vnum ex illis argumentis eſt, quæ libelli auctor ſe ab omnipotentis veritatis, & rationis virtute ſumturum glorioſe prædicauit, & quibus ſi quis contradicere auſus eſſet, hũc proteruum appellauit Quare ne proteruus ab homine tantæ eruditionis appeller, huic argumento nõ contradicam, ſed potius ipſe quoque eodem argumento vtar, & illo adhibito Chriſtum non ſpiritualem Monarchiam, ſed temporalem inſtituiſſe probabo. Etenim cum ſpiritualis Monarchia iam inde à principio mundi, ſtatim ſcilicet poſt peccatum auctoritate ſummi Monarchæ Dei inſtituta fuerit, reſtat, vt Chriſtus non ſpiritualem Monarchiam fundauerit, ſed temporalem.

Quæro, quid hic dicturus ſit libelli auctor, conſecutionem ne negaturus ſit, an aſſumptionem: ſi conſecutionẽ negabit, ſuo ipſe argumento contradicet. Si autem aſſumptionem falſam dixerit, facile erit eam probare partim ex ſacris literis, vbi legitur in veteri teſtamento ſacrificatum, & alium etiam cultum DEO præſtitum fuiſſe, vt patet de ſacrificijs Abel, Cain, & aliorum, quorum in dicto teſtamento veteri mentio fit, partim ex doctribus Claſſicis, nã Victoria, Relectione prima de poteſtate eccleſię, quęſt. 4. nu. 2. & relecti. 2. quæſt. 1. nu. 2. quemadmodum refert Molina, diſput: 21. §. diſſoluta natura per &c. de iuſtitia: ait poteſtatem eccleſiaſticam fuiſſe in lege naturæ ſtatim poſt peccatum.

Quod ſi libelli auctor, perſtiterit, ac dixerit aſſumtionem eſſe omnino falſam, & illius falſitatem probari auctoritate Nauarri, cap. Nouit, de iudicijs, notab. 3. num. 89. verſ: hæc autem: vbi habet hæc verba: hæc autem ſcilicet eccleſiaſtica ſupernaturalis, cœpit à Chriſto nato, immo & paſſo, nempe à tempore, quo dixit Petro: Paſce oues meas, &c. Si

190

&c. Si inquam id dixerit, perſpicue ſe in legendo illo Nauarri loco hallucinatũ fuiſſe monſtrabit. Nauarrus enim eo loci loquitur de poteſtate, qua poſt Chriſtum regitur eccleſia Chriſtiana, vt patet eodem nu. in prin. vbi habentur hæc verba, antiquiorem eſſe poteſtatem laicam, quam eccleſiaſticam, ſaltem eam, qua poſt Chriſtum regitur eccleſia Chriſtiana &c. patet etiam ex numero præcedenti, vbi habentur hæc verba, poteſtas laica data fuit humano generi à Deo puro nondum homine facto, poteſtas verò eccleſiaſtica noua à Deo facto homine &c. vbi Nauarrus nõ dicit poteſtatem eccleſiaſticam à Deo facto homine datam fuiſſe humano generi, ſed poteſtatem eccleſiaſticam nouã.

Præterea quod aſſumptio illa vera ſit, probatur, quia certum eſt hominem ad ſupernaturalem finem conditum fuiſſe, atque ad eum conſequendum aliqua directione non ſolum in lege gratiæ, ſed etiam in lege ſcripta, & lege naturæ indiguiſſe, eamque directionem, cum humani generis natura per peccatum corrupta, & à ſuo fine auerſa eſſet, cum vi coactiua coniunctam eſſe oportuiſſe. At poteſtatis eccleſiaſticæ vocabulo nihil aliud intelligimus, quam poteſtatem, qua homines accommodate ad ſuum finem ſupernaturalem gubernantur, & ad media ipſi ſupernaturali fini accommodata inducuntur. Quare vt rem hãc definiam, neganda eſt hæc conſequentia. Monarchia ſpiritualis ab initio mundi à Deo auctore naturæ inſtituta fuit. Ergo Chriſtus non ſpiritualem Monarchiam, ſed temporalem inſtituit. Et pariter neganda eſt conſequẽtia auctoris libelli: Monarchia temporalis ab initio mundi Deo auctore inſtituta fuit. Ergo Chriſtus non temporalem, ſed ſpiritualem Monarchiam inſtituit. Reuera tamen Chriſtus neque ſpiritualem Monarchiam inſtituit, neque temporalem, ſed vtranque perfecit.

Examinatur quartum argumentum ad eandem propoſitionem probandam.

§. 4.

QVARTO loco probare conatur libelli auctor ſummi Pontificis poteſtatem eſſe mere ſpiritualem, ex actu, & verbis, quibus Chriſtus vſus fuit, quando poteſtatem Apoſtolis dedit. Quamuis enim liberator noſter Math. vlt. nu. 18. dixerit. Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra &c. tamen Ioannis 20. nu. 21. eam Apoſtolis limitatam dedit, his verbis: inſufflauit, & dixit eis. Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, &c. inſufflare enim eſt ſpiritum ex ore ſuo emiſſum in aliũ mittere, & ita actus ille notat ſpiritualem ſolam poteſtatẽ datam fuiſſe, verba etiam clara ſunt, cum de ſola peccatorũ remiſſione, & retentione loquantur.

In hoc argumento duo ſunt præcipui errores. Primus error eſt, quod locũ ex Euangelio D. Ioannis, cap. 20. integrum non citauit, illius enim loci, ſi integer citandus ſit, hęc ſunt verba: Dixit ergo eis iterũ. Pax vobis, ſicut miſit me Pater, & ego mitto vos, hæc cũ dixiſſet inſufflauit & dixit eis. Accipite ſpiritũ ſanctum, quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorũ retinueritis, retenta ſunt, &c. Porro ex his verbis non ſimplex remittendi, & retinendi peccata, ſed abſoluta eccleſiam gubernãdi poteſtas colligitur, dicit enim Chriſtus ſe mittere Apoſtolos quemadmodum ipſe à patre miſſus fuerat. Chriſtum autẽ non ad ſola remittenda, vel retinenda peccata miſſum fuiſſe patet ex verbis Math. vlt: ſupra relatis. Alter

Alter error huius argumenti eſt, quod libelli auctor debuit citare verum locum in quo ſummo Pontifici poteſtas data fuit. Quamuis enim Ioannis 20. Apoſtoli miſſi ſint ad gubernandam eccleſiam, eisque poteſtas remittendi, & retinendi peccata à Chriſto tradita fuerit, tamē alius locus, in quo ſancto Petro particulatim ſumma & abſoluta eccleſiam Dei regendi poteſtas tradita fuit, qui quidem locus habetur Ioann. vlt. n. 15. quem ad conuincendā malitiam iſtius hominis placet adſcribere, ſic igitur habet. Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus, Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei, etiam Domine; tu ſcis, quia amo te, Dicit ei, Paſce agnos meos, Dicit ei iterum, Simon Ioannis diligis me? ait ille, etiam Domine, tu ſcis, quia amo te, Dicit ei, paſce agnos meos, Dicit ei tertio, Simon Ioannis, amas me? contriſtatus eſt Petrus, quia dixit ei tertio, amas me? & dixit ei, Domine tu omnia noſti, tu ſcis, quia amo te, Dixit ei, Paſce oues meas, &c. Hic igitur eſt germanus locus, in quo Petro, & eius ſucceſſoribus ſumīs Pontificibus eccleſiaſtica poteſtas data fuit, quæ poteſtas non eſt limitata ad peccatum, & animas tantummodo, quemadmodum libelli auctor, contra clariſſima ſacræ ſcripturæ verba affirmat, ſed generaliſſima eſt, atque omnia penitus cōprehendit, quæ ad gubernandas Chriſti oues requiruntur, certum eſt autem Paſtoris munus late patere, neque vna morbidarum ouium curatione contineri (quæ tamen multò latius patet, quam facultas remittendi, & retinendi peccata) ſed ad oues in paſcua ducendas, easdemque à lupis defendendas, & multa alia, quæ hic recenſeri neceſſe non eſt, pertinere.

Exami-

Examinatur quintum argumentum ad eandem propoſitionem probandam.

§. 5.

Conatvr etiam libelli auctor probare poteſtatem ſummi Pontificis eſſe mere ſpiritualem ex verbis illius orationis eccleſiæ. Qui beato Petro poteſtatem animas ligandi, atque ſoluendi tradidiſti &c. ecce, inquit, Eccleſia dicit poteſtatem ſancti Petri limitatam fuiſſe ad animas.

Duo etiam in hoc argumento errores inſunt, quorum vnus eſt, quod quamuis eccleſia in illa oratione vocabulũ: animas: aliquando protulerit, nihilominus tamen per: animas: non ſolam hominis partem intellexit, ſed integros homines ſignificauit: eo videlicet modo, quo Diuus Paulus: cum ad Rom. 13. dixit: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: animæ vocabulo, integrum hominẽ indicauit: Dominus Cardinalis Bellarminus hic.

Alter error eſt, quoniam etiamſi animarum vocabulo ſolas animas intelligeremus, nihilominus tamẽ ex hac oratione non concluderetur ſanctum Petrum non habere niſi poteſtatem mere ſpiritualem. Quia apud Theologos compertum eſt Principes ſeculares, qui poteſtatem mere ſecularem habent, poſſe tamen leges ferre, quibus hominum animæ, & conſcientiæ ligentur, & poſſe eaſdem hominum animas, & conſcientias legum à ſelatarum vinculis ſoluere, & liberare, ſiue leges penitus abrogando, ſiue in illis particulatim diſpenſando.

Exami-

1942

Examinatur ſextum, & vltimum argumentum ad eandem propoſitionem probandam.

§. 6.

DENIQVE nititur libelli auctor probare ſummũ Pontificem habere auctoritatem mere ſpiritualem, ex eo, quod excommunicandi poteſtas, quam Chriſtus ſancto Petro dedit, eſt conditionata: Math. 18. nu. 15. & 17. ſi peccauerit in te frater tuus &c. & infra: ſi autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus &c. vbi, inquit, Saluator noſter dat auctoritatem excommunicandi, ſuppoſitis tamen peccato, & obſtinatione in peccato, &c.

In hoc argumento tres inſunt errores, primus error eſt, quoniam libelli auctor dicit excommunicandi poteſtatem datam fuiſſe Petro, cum ei dictum fuit: ſit tibi ſicut ethnicus, & publicanus, &c. hæc enim verba ſignificant Chriſtum docuiſſe quomodo, & quando excommunicandi poteſtate vtendum ſit, non autem ſignificant, excommunicandi poteſtatem datam fuiſſe.

Alter error eſt, quoniam dicit eo loco ſignificari non poſſe deueniri ad actum excommunicandi, niſi ſuppoſitis peccato, & obſtinatione in peccato. Quod tamen falſum eſt, nam neque ſufficit quem peccaſſe, & in peccato obſtinatum eſſe, vt poſſit excommunicari, ſed oportet ei, per eccleſiam præcipi, vt à peccato exeat, & ſi inobediens fuerit, excommunicari poterit. Neque item neceſſarium eſt quem in peccato obſtinatum eſſe, vt iuſte excommunicari poſſit. Satis eſt enim eum eſſe contra eccleſiam contu-

macem, vt euangelij verba aperte demonſtrant, ſi eccleſiā non audierit &c. Contumaciam autem ab obſtinatione diuerſam eſſe, etiam pueri norunt. Dominus Cardinalis Bellarminus hic.

Tertius error eſt, quia etiamſi quis millies concedat excommunicandi poteſtatem limitatam eſſe ad peccatum, & obſtinationem in peccato. Non propterea tamen concedet poteſtatem Diui Petri limitatam eſſe ad peccatum. Eſt enim fallacia conſequentis: Diuus Petrus nō poteſt pœnam infligere niſi propter culpam, aut non poteſt medicinam adhibere niſi pecudi morboſæ. Ergo diui Petri poteſtas limitata eſt ad culpas, limitata eſt ad pecudes morboſas. Conijcio iſtum hominem eſſe admodum vetulum, ac fortaſſe decrepitum, atque ideo rerum logicarum oblitum eſſe, aut certè verum ordinem peruertiſſe, & antequam logicam didicerit, ad ſacræ Theologiæ culmen aſcendiſſe.

EXAMINATVR, ET REFVTATVR QVINTA PROPOSITIO.

QVINTA propoſitio eſt, Perſonæ & res eccleſiaſticę à poteſtate Principis ſecularis non diuino, neq; humano canonico, ſed humano ciuili iure exemptæ ſunt.

Propoſitio hæc & falſa eſt, & probationibus adeo perturbatis, & peruerſis vtcunque fulcitur, vt totam hanc eccleſiaſticæ exemptionis materiam inuoluat, & denſiſſimis tene-

tenebris obnubilet. Quare operæprecium facturus videor, ſi rem hanc, ad quam expugnandam omnes machinas admouent Veneti, aliquanto fuſius declararo, & aduerſus huius hominis calumnias defendero.

Totam igitur hanc materiam in tres præcipuas partes diſtribuam. In prima parte probabo ſummum Pontificem, & Prælatos eccleſiaſticos, atque adeo omnes clericos de iure diuino exemptos eſſe à Principum ſecularium poteſtate. In ſecunda parte probabo, ſi Prælati eccleſiaſtici non eſſent de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exempti: Quod ſummus Pontifex poſſet eos eximere per ſuã ſimplicem ſpiritualem poteſtatem neque expectato, neq; requiſito Principum ſecularium conſenſu. In tertia & vltima parte probabo, ſi ſummus Pontifex, & Prælati eccleſiaſtici, neque de iure diuino, neque de iure humano canonico, ſed ſolum de iure humano ciuili à ſeculari poteſtate exempti eſſent, quod nihilominus talis exemptio eis auferri non poſſet per Principes ſeculares. Ac ſingulas partes in diuerſos paragraphos, prout commodum videbitur, ſecabo.

Summum Pontificem de iure diuino exemptum eſſe à ſecularium Principum poteſtate.

§. primus.

AD probandum ſummum Pontificem de iure diuino exemptum eſſe à Principum ſecularium poteſtate, duo ſupponi debent, quæ in Euangelio diſertis verbis traduntur. Primo enim certũ eſt ſummum Pontificem de iure diuino eſſe Paſtorem to-

tius eccleſiæ Chriſti: hoc primum ſuppoſitum patet Ioannis vltimo: nu. 15. vbi Chriſtus Petro dixit: Paſce oues meas, atque ita de iure diuino habet auctoritatem ſupra omnes, qui ſunt in numero ouium Chriſti. Secundo certum eſt cum poteſtate ſummi Pontificis de iure diuino coniunctam eſſe vim coactiuam adeo, vt ſummus Pontifex poſſit leges ferre, quibus homines obliget etiam in conſcientia, & legum tranſgreſſores poſſit per vſum duplicis gladij punire. Placet hoc ſuppoſitũ Math. 16. nu. 19. Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis &c. Et ſecundæ ad Corinth. Cap. 13. num. 2. Prædixi, & prædico, vt præſens, & nunc abſens ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam ſi venero iterum non parcam, &c. & eodem Cap. n. 10. Ideo hæc abſens ſcribo, vt non præſens durius agam ſecundum poteſtatem quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in deſtructionem &c. Ecce diuus Paulus minatur pœnam virtute ſuæ poteſtatis, quam à Domino acceperat. His ita poſitis probatur, quod dictum eſt.

Primo, ſummus Pontifex de iure diuino ab illorum poteſtate exemptus eſt, ſupra quos de iure diuino habet poteſtatem coactiuam. hæc propoſitio nota eſt ex ſolis terminis, implicat enim contradictionem, vt ſubditus habeat poteſtatem coactiuam ſupra ſuum Principem. At ſummus Pontifex habet poteſtatem coactiuam non modo ſupra homines priuatos, ſed etiã ſupra Principes ipſos, idq; de iure diuino. Ergo de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exemptus eſt. Aſſumptio probatur, quia poteſtas ſummi Pontificis ſe extendit de iure diuino ad omnes, qui ſunt in numero ouium Chriſti. In hoc numero autem non ſoli priuati homines, ſed etiam Principes, Reges, Impera-

194
tores, & quicunque alij ſuperioritatem aliquam in temporalibus habentes continentur.

Secundo de iure diuino naturali eſt, vt ille præſit, & imperet, qui Rempublicam ad pręſtantiorem finem regit, & gubernat, ille autem ſubſit, & obediat, qui eandē Rempublicam ad finem ſubordinatum illi præſtantiori fini adminiſtrat. At ſummus Pontifex Chriſtianam Remp. ad finē ſupernaturalem, æternam videlicet beatitudinem regit, & gubernat, ſeculares autem Principes eiuſdem Reip. partes ad finem naturalem illi ſupernaturali finī ſubordinatū adminiſtrant. Ergo de iure diuino naturali eſt, vt ſummus Pontifex præſit, & imperet, ſeculares autem Principes ſubſint, & obediant. Minor huius argumenti ab omnibus conceditur, & ex ſacris literis nota eſt, cum ſummus Pontifex claues Regni cælorum habeat, & Chriſti oues paſcat. Maior autem propoſitio & naturali lumine nota eſt, & ab Ariſtotele primi ethicorum 1. optime declaratur, & probatur. Atque ideo omnes, qui Chriſtiani eſſe volunt, ſummo Pontifici obedire debent. teſte Diuo Paulo ad Rom. 13. omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, quem locum ſi libelli auctor intelligere voluiſſet, Venetos docuiſſet, vt à contumacia deſiſterent, ac ſummo Pontifici, & Paſtori ſuo, qui ſupra illos poteſtatem habet, obedirent.

Nunc ad ea refellenda accedam, quę contra ſumī Pontificis exemptionem à libelli auctore prolata ſunt, quæ quidem talia ſunt, vt eum eſſe hominem plane hæreticum cōuincant, illius videlicet farinæ, cuius fuit Marſilius Patauinus, homo iamdudum ab eccleſia pro hæretico damnatus, quod non modo clericos, & eccleſiarum Antiſtites, ſed etiam ſummum Pontificem, atque adeo Chriſtum ipſum Principum ſęculariū poteſtati ſubijcere auſus fuerit: Azo-

rius lib. 5. Moralium:ca. 12. quæſt. 1. §. in hac proculdubio graui &c.

Reſpondetur ad primum argumentum contra exemptionem ſummi Pontificis.

§. 2.

LIBELLI auctor conatur probare ſum̃um Pontificem Principibus ſecularibus ſubiectum eſſe ex eo, quod habetur lib. 3. Reg. cap. 2. num. 27. vbi dicitur Salomonē priuaſſe Abiathar ſum̃o Sacerdotio Hebræorum.

Hoc argumentum nihil concludit, primo quia ſacra ſcriptura ibi narrat, quid factum fuerit à Salomone, iure autem, an iniuria factum fuerit, non dicit, Salomon autem multa fecit, quæ de iure facere non potuit, adeo, vt maior Theologorum pars de illius ſalute ambigat. Secundo quia Salomon ibi fuit Miniſter, & executor diuinæ voluntatis, quemadmodum ipſamet ſacra ſcriptura teſtificatur.

Denique quia video, quæ leguntur de Principibus gentilium, & etiam hebræorum circa ſuos ſacerdotes & Pontifices non poſſe ſemper applicari ad Principes, & Pontifices Chriſtianos, quia nunquam Deus ita clare diuiſit poteſtatem eccleſiaſticam, & ſecularē, ſicut diuiſit poſt Chriſtum natum, de qua re ſpero me alibi fuſius tractaturum, & aliquid fortaſſe dicam in reſponſo ad libellum fratris Pauli.

Reſpon-

Reſpondetur ad ſecundum argumentum contra idem.

§. 3.

SECVNDO loco argumentatur libelli auctor virtualiter hoc modo. Summi Pontifices eorum potestati ſubiecti ſunt, à quibus propria illorum auctoritate deponuntur. At ſummi Pontifices à Principe ſeculari propria ipſius Principis auctoritate deponuntur. Ergo ſummi Pontifices Principis ſecularis poteſtati ſubiecti ſunt. Maior huius argumenti propoſitio videtur eſſe nota ex terminis, ac propterea non aliter probatur. Minor autem probatur tum infinitis alijs exemplis: quæ tamen libelli auctor non recenſet: tum exemplo Ottonis primi Imperatoris chriſtianiſſimi, qui ſicut in illius vita legitur, Ioannē duodecimum, qui erat homo peſſimus, auctoritate propria depoſuit.

Ad hoc argumentum reſpondetur, falſum eſſe Ioannē 12. ab Ottone primo, vel quemquam alium ſummum Pontificem ab vllo alio Imperatore propria illorum auctoritate depoſitum fuiſſe, & item falſum eſſe tale mendacium in Ottonis vita legi, & libelli auctor debuiſſet nominare auctorem, in quo hiſtoriam hanc, vel potius fabellam inuenerit. nunc dum mera & impia mendacia nullo illorum auctore prolato ſimplicibus obtrudere contēdit, nihil aliud facit, quam quod animum ſuum malitioſum, fallacem, & virulentum oſtendit.

At dicet fortaſſe ſuam illam minorem propoſitionem probari teſtimonio Illyrici, qui quemadmodum refert Dominus Cardinalis Bellarminus, lib. 2. de tranſlat: Imp.

cap.vlt.§.pergit Illyricus, his ipſis verbis hac de re loquitur. Nam quod attinet ad illam ſcriptionem Cardinalium ad Ottonem, ea fuit nihil aliud, quam accuſatio Ioannis 12. hominis impuriſſimi, ac petitio, vt depoſito eo, alium meliorem Epiſcopum, aut Papam in eius locũ ſufficeret, quod etiam Otto primus ſtrenue effectum dedit, nam tunc, & olim per omnem vetuſtatem erat iuris, & auctoritatis Cæſareæ Impuros Papas caſtigare. hiſtoria habetur prolixe apud Luithprandum Ticinenſem hiſtoricum fide digniſſimum &c. hactenus Illyricus, ex quo ſequi videtur præfatam minorem non Illyrici modo auctoris hæretici, ſed etiam Luithprandi, quem citat Illyricus, teſtimonio probari.

Atqui tam de Illyrico, quam de libelli auctore illud dici poteſt, quod habetur Ioannis 8. nu. 44. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere, ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, &c. Nam & Illyricus, & libelli auctor impudentiſſime mentiuntur, & cum dicunt Ioannem 12. ab Otthone primo depoſitum fuiſſe, & cum affirmant per omnem antiquitatem Papas ab Imperatoribus deponi potuiſſe, & cum Luithprandum ſuorum mendaciorum auctorem faciunt. Nam quòd attinet ad Ioannem 12. hiſtoriam ex memorato Luithprando narrant Dominus Cardinalis Bellarminus in cap. ſupra citato, & Dominus Cardinalis Baronius in Annalibus anni nongenteſimi ſexageſimi tertij, atque ita narrant, vt conſtet Otthonem Imperatorem non modo non depoſuiſſe memoratum Ioannem duodecimum, ſed ſummo etiam honore eum ſemper proſecutum fuiſſe, & quod Ioanni duodecimo accidit, id ei à quadam Pſeudoſynodo accidiſſe. Immo de eodem Imperatore Dominus Cardinalis Baronius refert illud Apoſtoli ad Rom. 10. num. 2. Teſtimonium perhibeo illi, quod æmulationem Dei habet, ſed

non

non ſecundum ſcientiam. Quod attinet autem ad infinitas illas ſum̃orum Pontificum depoſitiones factas per Imperatores, quas comminiſcitur libelli auctor, & ad illam vetuſtatem iuris & poteſtatis Cæſareæ caſtigandi Pontifices, quam fingit Illyricus, optime refutatur ab eodem Domino Cardinale Bellarmino, vbi ſupra, etenim cõſtat omnes ſummos Pontifices vſque ad Ioannem duodecimũ à Catholicis Imperatoribus ſemper honorificentiſſime tractatos fuiſſe, & ſi quam aliquando iniuriam paſſi ſunt, eã vel ab ethnicis Imperatoribus, vel ab hæreticis Principibus paſſos fuiſſe.

Reſpondetur ad tertium argumentum contra idem.

§. 4.

TERTIO loco argumentatur libelli auctor hoc modo. Si Pontifex de iure diuino exemptus eſſet à Principis ſecularis poteſtate, Papa Hadrianus non potuiſſet velle, vt Carolus Magnus haberet auctoritatem eligendi ſummum Pontificem. Neque Leo octauus potuiſſet idem velle in fauorem Otthonis primi. At Papa Hadrianus voluit, vt Carolus magnus auctoritatem illam haberet. cap. Hadrianus 63. diſt: & Leo VIII. idem voluit in fauorem Ottonis primi. cap. in ſynodo, eadem diſt: Ergo &c.

Huius argumenti maior propoſitio falſa eſt, & Minor. Falſitas minoris propoſitionis probatur ex nono tomo Annalium Domini Cardinalis Baronij pag. trecenteſima viceſima tertia, quemadmodum refert hic Dominus Cardinalis Bellarminus.

Quod autem maior propoſitio falſa ſit, facile erit probare, ſi illorum ipſorum capitum, quæ à libelli auctore citata ſunt, verba adſcripta fuerint: verba enim capitis, Hadrianus, hæc ſunt: Hadrianus autem Papa cum vniuerſa ſynodo tradiderunt Carolo ius & poteſtatem eligendi Pontificem & ordinandi Apoſtolicam ſedem, dignitatem quoque Patriciatus ei conceſſerunt. Verba autem cap. in ſynodo: hæc ſunt. Ad exemplũ beati Hadriani Apoſtolicæ ſedis Antiſtitis, qui Domino Carolo victorioſiſſimo &c. Ego quoque Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei cum toto clero ac Romano populo conſtituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per noſtram Apoſtolicam auctoritatem concedimus, atque largimur Domino Ottoni primo &c.

Hæc profecto verba talia ſunt, vt ſi ea libelli auctor aliquanto attẽtius cõſideraſſet, nunquã illa duo capita in medium proferre auſus eſſet, ſuã enim illã peſtiferam, & hæreticam propoſitionẽ penitus iugulant. Nam ſi ſumus Pontifex de iure diuino ſubiectus eſt Imperatori, quemadmodum vult idem libelli auctor, quomodo fieri potuit, vt Hadrianus Carolo, & Leo Ottoni, ius eligendi Romanũ Pontificem tradiderint? quis enim vnquam audiuit ſubditum tradere iuriſdictionem ſuo ſuperiori de iure diuino? At verba illorum duorum capitum clariſſime cantant, ius eligendi Romanum Pontificem datum eſſe Imperatori ab ipſo Romano Pontifice. Ergo pariter clariſſime cantant ſummum Pontificem non eſſe Imperatori ſubditum, ſed econtrario Imperatori ius quoddam, quod ei tanquam Imperatori nõ competebat, datum fuiſſe à Romano Pontifice. Præſertim cum verba dicti capitis: in ſynodo, teſtificentur ſumum Pontificem per ſuam Apoſtolicam auctoritatem tale ius Imperatori conceſſiſſe.

At, inquit libelli auctor, non ſtant hæc ſimul, vt ſumus Ponti-

Pontifex ius eligendi Romanum Pontificem Imperatori tradiderit, & nihilominus ab Imperatoris iuriſdictione de iure diuino exemptus ſit. Reſpondeo libelli auctorem debuiſſe id non ſolum dicere, ſed etiam probare, quod tamẽ neque fecit, neque vnquam facere poterit, cum contrariũ verũ ſit, & facillime probari poſſit, ius enim eligendi ſummum Pontificem etiam his temporibus ſanctiſſimo Cardinalium collegio competit, & nihilominus ſummus Pontifex non ſolum à Cardinalium poteſtate exemptus eſt, ſed eos etiam de iure diuino ſibi ſubditos habet. Multa Cathedralium eccleſiarum Capitula ius eligendi Epiſcopum habent, & nihilominus Epiſcopo creato ſubiecta ſunt.

Septem Electores Imperij ius eligendi Imperatorẽ habent, & nihilominus Imperatori electo ſubijciuntur. Aliud igitur eſt Imperatores ius eligendi ſum̃um Pontificẽ habere, vel potius aliquando habuiſſe, quod ſum̃um illi duo canones dicunt, aliud Imperatorẽ poſſe ſum̃o Pontifici imperare, quemadmodum libelli auctor ex dictis duobus capitibus per hallucinationem inferre contendit.

Eccleſiarum Antiſtites, & reliquas perſonas eccleſiaſticas à iuriſdictione ſeculari de iure diuino exemptos eſſe.

§. 5.

PRIMA concluſio. Eccleſiarum Antiſtites, & aliæ perſonæ eccleſiaſticæ in rebus ſpiritualibus diuinis, & eccleſiaſticis à ſeculari poteſtate de iure diuino eximuntur. Porro eccleſiaſticæ res, & ſpirituales appellantur, quæ à ſola eccleſiaſtica, & ſpirituali poteſtate proficiſcuntur, quales ſunt, epiſcopos conſecrare,

ſacerdotes, & alios clericos ordinare, ſacramenta adminiſtrare, cenſuras & alias eccleſiaſticas pœnas infligere, miſſas, & alia diuina officia celebrare, templa, & altaria conſecrare, & ſi qua alia huiuſmodi ſunt.

Hæc cõcluſio communis eſt apud omnes Theologos, quemadmodum atteſtatur Azorius lib. 5. moralium, cap. 12. §. cõuenit etiam inter omnes &c. & probari poteſt hoc modo. Clerici de iure diuino ab humana poteſtate ijs in rebus exempti ſunt, quæ per nullam humanam, ſed per ſolã diuinam, & ſupernaturalem poteſtatem fieri poſſunt. At res eccleſiaſticæ, & ſpirituales ſupradictæ per nullam humanam, ſed per ſolam diuinam, & ſupernaturalem poteſtatem fieri poſſunt. Ergo in rebus eccleſiaſticis, & ſpiritualibus ſupradictis clerici de iure diuino ab humana poteſtate exempti ſunt. Maior propoſitio videtur eſſe nota ex terminis, nam implicat contradictionem res aliquas humanæ poteſtati ſubijci, & tamen per nullam humanam poteſtatem fieri poſſe. Minor autem propoſitio eſt de fide, omnes enim credimus ſupernaturalem poteſtatem ad ſupradicta munera obeunda à Chriſto Eccleſiæ datam fuiſſe, neque illa munera poſſe per vllam humanam poteſtatem obiri: nullus enim quantumuis magnus Princeps poterit epiſcopum conſecrare, ſacerdotem ordinare, & alia id genus officia exercere. eadem minor probatur per textum in cap. ſi imperator, diſt. 96.

Secunda concluſio, eccleſiarum Antiſtites, & alij clerici etiam in rebus ciuilibus, & temporalibus de iure diuino ab humana poteſtate liberi, & exempti ſunt. Concluſionem hanc Canonici iuris interpretes communi conſenſu tenent, eam etiam nonnulli ex Theologis & inter eos Azorius lib. cap. & quæſt. citatis ſequuntur, illi autẽ Theologi, qui eam non tenent, iuri tamen diuino, & naturali

valde

198

valde conſentaneam eſſe affirmant. Ego autem eam veriſſimam eſſe, & ex certiſſimis iuris diuini principijs deduci exiſtimo. Quod probatur.

Primo per textum, in cap. Quanquam: de cenſibus, in ſexto: vbi habentur hæc verba: Cum igitur eccleſiæ eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolum iure humano, quin immo & diuino à ſecularium perſonarum exactionibus ſint immunes &c. & infra loquens de conſuetudine in contrarium his ipſis verbis agit. Contraria conſuetudine quorumcunque, quę dicenda eſt corruptela verius, non obſtante &c. etenim ſi de ſolo iure humano inducta eſſet exemptio, poſſet per contrariam conſuetudinem adimi, neque talis conſuetudo dicenda eſſet corruptela.

Qui contrariam conſuetudinem habent, dupliciter ad hunc locum reſpondent: nam Soti reſponſionem, quæ ipſi textui manifeſte contraria eſt, non numero: alij enim dicunt ſummum Pontificem eo loci per diuinum ius nihil aliud intelligere, quam ius canonicum, quod ipſum quoq; aliquando diuinum ius appellatur. Gloſſ. in cap. quo iure, verſ. nam iure diuino, diſtinct. 8. vel certe diuinarum ſcripturarum exemplum, vt dicamus ſummum Pontificem dixiſſe exemptionem hanc eſſe de iure diuino, quia exemplo ſacrarum literarum inducta fuerit. Etenim Geneſeos 47. numer. 22. & 26. terra ſacerdotum exempta fuit à contributionibus, quæ Pharaoni pendendæ erant.

Hæc tamen reſponſio refellitur ex verbis ipſius textus de conſuetudine in contrarium ſupra citatis, nam ſi de mero iure humano inducta eſſet hæc exemptio, poſſet per contrariam conſuetudinem auferri, & talis conſuetudo nō eſſet dicenda corruptela.

Alij aliter reſpondent, ac dicunt fieri potuiſſe, vt Bonifacius

nifacius illius Decretalis auctor eam opinionem habuerit, quam nunc Canoniſtæ communiter ſequuntur, ac propterea eam ibidem aperuerit, ibi enim loquitur non tanquam rem controuerſam definiens, ſed ſimpliciter, & obiter id affirmans.

Ne hæc quidem reſponſio ſatisfacit, quia quamuis ſummus Pontifex ibi non ſuſceperit definiendam hanc controuerſiam, vtrum videlicet de iure diuino, an humano clerici exempti ſint, legem tamen circa certam exemptionis eccleſiaſticæ ſpeciem vniuerſæ eccleſiæ præſcripſit, ad eamque præſcribendam ſe deſcendiſſe affirmauit, quia clericorum exemptio nõ ab humano ſolum iure, ſed etiã à diuino profecta ſit. Atq; ideo rem hanc non ſimpliciter, & obiter narrauit, ſed tanquam rationem, & fundamentum legis, quam vniuerſæ eccleſiæ promulgabat, expoſuit. Vnde quamuis hac in re non omnino ea locũ habeant, quæ Dominus Cardinalis Bellarminus de infallibili ſummi Pontificis iudicio lib. 4. de Rom. Pont. cap. 5. ſapientiſſime explicauit, prope tamen eſt, vt habeant, cum ratio ſit anima legis &c.

Secundo probatur eadem concluſio per textum Concilij Tridẽtini, Seſſ. 25. cap. 20. de reformatione, vbi habẽtur hæc verba: Nec permiſſuros, vt officiales, aut inferiores Magiſtratus eccleſiæ & perſonarum eccleſiaſticarum immunitaté Dei ordinatione & canonicis ſanctionibus cõſtitutã aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent, &c. Certe hic locus videtur quaſi rem definire, cum aperte dicat eccleſiaſticam immunitatem Dei ordinatione conſtitutam eſſe, hic enim modus loquendi ab eccleſia adhibitus ſignificat id, de quo agitur, ab ipſo Deo inſtitutum fuiſſe, quemadmodum patet ex illis verbis, quæ ab eccleſia in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio recitantur. Præ-

ceptis

ceptis ſalutaribus moniti,& diuina inſtitutione firmati&c. ibi enim idcirco dicimur diuina inſtitutione firmati fuiſſe, quia ipſemet Chriſtus dominicā orationē inſtituit, Math. cap. 6. num. 9. ergo pariter dicendum erit Concilium dixiſſe clericorum exemptionē Dei ordinatione inſtitutam fuiſſe, quia ipſemet Deus eam inſtituerit. Præterea Concilium eodem modo loquitur,cum dicit Eccleſiaſticam im̄unitatē Dei ordinatione conſtitutā fuiſſe, quomodo loquitur,cū dicit eandē immunitatē Canonicis ſanctionib' inſtitutā eſſe.At certū eſt Concilium per illum modum loquēdi quo vtitur in Canonicis ſanctionibus, ſignificaſſe eccleſiaſticam immunitatem à ſacris Canonibus præceptam eſſe. Ergo cum eodē prorſus loquendi modo, & eiſdem prorſus verbis vtatur in Dei ordinatione, pariter ſignificauit eandem immunitatem Dei ordinatione præceptam eſſe.

Non obſtat ſi quis dicat neque Concilium Tridentinū eo loci ſuſcepiſſe hanc rem definiendam, ſed tantummodo, ſuppoſito, quod eccleſiaſtica immunitas à Dei ordinatione præcepta ſit, Principes admonuiſſe, vt eam conſeruandam à ſuis Officialibus & Magiſtratibus procurent.Nō inquam,id obſtat, quia cum Concilium Tridentinum fuerit vniuerſale, & in eo fuerint præcipui Theologi, & Canonū doctores ex toto orbe Chriſtiano,eo ipſo quod Conciliū aſſeruit,eccleſiaſticā im̄unitatem Dei ordinatione cōſtitutam eſſe, ſignificauit hunc eſſe com̄unem ſenſum eccleſiæ, qui quidem communis ſenſus facit rem de fide.

Tertio probatur eadem Concluſio. Antiſtites eccleſiarum & alij ſacerdotes animarū curam habentes de iure diuino exempti ſunt ab illorum poteſtate, qui de iure diuino ipſis Antiſtitibus,& alijs ſacerdotibus animarum curā habentibus obedire, & ſubiacere debent. Hæc propoſitio eſt nota ex ipſis terminis. At non ſolum priuati homines, ſed

Digitized by Google

ſed etiam Principes Antiſtitibus eccleſiarum, & alijs ſacerdotibus animarum curam habentibus de iure diuino obedire, & ſubiacere debent. Ergo eccleſiarum Antiſtites & alij ſacerdotes animarum curam habentes de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exempti ſunt. Minor propoſitio huius argumenti probatur expreſſe per diuũ Paulum ad Hebræos, cap. vlt. nu. 17. qui hæc verba habet, Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis, ipſi enim peruigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, &c.

Neque dici poteſt eo loco Diuum Paulum loqui de ſolis priuatis hominibus, non autem de Principibus. Quia Diuus Paulus loquitur de illis, pro quibus eccleſiarum Antiſtites peruigilant, & pro quorum animabus rationem Deo reddituri ſunt, eccleſiarum autẽ Antiſtites, & alij animarum curam habentes non minus pro Principibus peruigilant, quam pro priuatis, & non minus pro Principum animabus rationem Deo reddituri ſunt, quam pro priuatorum animabus, Ergo Diuus Paulus tam de Principibus loquitur, quam de priuatis.

In confutatione ſubſequentis propoſitionis alias etiam rationes afferam, quibus eccleſiaſticas perſonas à ſeculari poteſtate de iure diuino exemptas probabo.

Nunc argumenta, quæ libelli auctor contra hanc veritatem affert, diſſoluenda ſunt.

Reſpon-

200

Reſpondetur ad primum argumentum contra ſupraſcriptam exemptionem.

§. 6.

OMissis ijs, quæ ſupra à libelli auctore propoſita, & à me refutata ſunt, ita probare conatur Clericos de iure diuino à ſeculari poteſtate non eſſe exemptos, quia vt habetur, Actor. 25, nu. 10. ipſemet Diuus Paulus dixit: Ad tribunal Cæſaris ſto, ibi me oportet iudicari &c. & paullo infra: Cæſarem appello &c.

Reſpondeo cum Domino Cardinali Bellarmino hic, quamuis Diuus Paulus exemptus fuerit à iuriſdictione Cæſaris, nihilominus tamen coactum fuiſſe Cæſarem appellare, cum neque illius, neque diui Petri, alteriuſue eccleſiaſtici exéptio nota eſſet, ac propterea & fidei Chriſtianę, & propriæ cauſſæ male conſuluiſſet Paulus, ſi Cæſaris tribunal recuſaſſet.

Neque hęc reſponſio infert iniuriam Diuo Paulo perinde ac ſi illius animi magnitudini contraria ſit, quemadmodũ affirmat frater Paulus in memorato eius libello, non magis, quam inferatur iniuria Chriſto cum dicitur eum advitandum ſcandalum iuſſiſſe, vt pro ſe, & Petro tributum ſolueretur, non fuit autem minore animo, aut conſilio Chriſtus, quam fuerit Diuus Paulus, neque minore libertate cum populis, & cum Principibus locutus fuit Chriſtus, quam locutus fuerit Diuus Paulus.

L Reſpon-

Reſpondetur ad ſecundum argumentum contra idem.

§. 7.

SECVNDO loco argumentatur libelli auctor ab auctoritate multorum Theologorum, qui eccleſiaſticam exemptionem de iure humano inductã fuiſſe exiſtimarunt.

Reſp. fatendo multos Theologos tenuiſſe illam opinionem. Sed ij neque vllam certam rationem, neque vllũ certum ius vnquam afferre potuerunt, ſuper quo illam ſuam opinionem fundarent, neque auctoritatibus præſertim Concilij Tridentini, & ſancti Pauli vnquam reſponderunt, immo ipſimet lumine naturali victi talem exemptionem diuino, & naturali iuri conſentaneam eſſe affirmarunt.

Reſpondetur ad tertium argumentum contra idem.

§. 8.

TERTIO loco probare nititur libelli auctor exemptionem eccleſiaſticam non eſſe de iure diuino inductam hoc modo: Si talis exemptio de iure diuino inducta eſſet, tale ius in aliquo euangelio, vel in aliqua epiſtola Apoſtolica, vel denique in aliquo libro noui, vel etiam veteris teſtamenti legeretur. At tale ius in nullo dictorum locorum legitur, ergo &c.

Ad hoc argumentnm reſpondeo duobus modis. Primo modo dico maioré illam propoſitionem falſam eſſe, etenim

etenim apud Chriſtianos de fide Catholica recte ſentientes exploratum eſt diuinum ius nō ſolo verbo Dei ſcripto, ſed etiam verbo Dei non ſcripto contineri. Quare etiamſi nullus ex ſacris ſcripturis locus proferri poſſet, in quo diuinum ius huiuſmodi ſcriptum eſſet, non propterea ſequeretur probari nō poſſe clericos diuino iure exemptos eſſe. Et certe cum Tridentinum Concilium diſertis verbis dixerit clericorum exemptionem Dei ordinatione conſtitutā fuiſſe. Cum Bonifacius, & alij etiam ſummi Pontifices, dū leges vniuerſales conderent, affirmarint clericos non ſolo humano ſed diuino etiam iure à ſecularium poteſtate exemptos eſſe. cum idem confirmarit Conſtantinus Imperator, cum denique omnes fere Canoniſtæ, & non pauci Theologi hanc opinionem tenuerint, Theologi autem illi, qui ſolo humano iure clericos exemptos eſſe putarunt, nihilominus addiderint exemptionem hanc diuino, & naturali iuri valde conſentaneam eſſe, temerarium, ne dicam hæreticum, videtur ab opinione tot tantorumque doctorum; quam etiam Imperatorum, ſummorum Pontificum, & Generalis Concilij auctoritas confirmauit, recedere, credendum enim eſt opinionem huiuſmodi diuina traditione promulgatam ad hæc vſque tempora deſcendiſſe, & cū vniuerſalis Concilij auctoritatem habeamus, in illa acquieſcere iure optimo debemus.

Hinc ſequitur libelli auctorem aut hæreticum eſſe, ſi traditiones negat, aut certe etiam hic ſuam illam mirabilem dialecticam nobis commendare voluiſſe. Etenim argumentari, hoc non legitur in ſacris literis, ergo non eſt de iure diuino, perinde eſt, ac ſi quis argumentetur, libelli auctor non eſt in Platea Diui Marci, ergo non eſt Venetijs, quemadmodum enim Venetiæ latius patent, quam Platea diui Marci, ita diuinum ius latius patet, quā diuinæ literæ,

& propterea ſicuti vitioſa eſt illa conſecutio, libelli auctor non eſt in platea Diui Marci, ergo non eſt Venetijs, ſic etiã hæc altera vitioſa eſt, clericorum exemptio non habetur in ſacris literis, ergo non habetur in iure diuino.

Secundo modo reſpondeo falſum eſſe memoratam clericorum exemptionem in ſacris literis non haberi, nam & Dominus Cardinalis Bellarminus hic aliquot loca profert, ex quibus exemptio illa probatur, & ego locum diui Pauli allegaui, in quo eadem exemptio habetur. Immo Diuus Paulus ibi non modo ſignificat eccleſiaſticos de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exemptos eſſe, ſed etiam ipſos Principes debere eccleſiaſticis obedire, & ſubiacere.

Reſpondetur ad quartum argumentum contra idem.

§. 9.

DENIQVE probare conatur libelli auctor perſonas eccleſiaſticas de iure diuino exemptas nõ eſſe, hoc modo. Ea exemptio non eſt de iure diuino inducta, quæ à Principibus ſecularibus modo augetur, modo minuitur, prout videlicet quies, & recta ratio ac Principatuum adminiſtratio poſtulat, & prout ipſiſmet Principibus videtur. At eccleſiaſtica exemptio ab omnibus Principibus ſecularibus Chriſtianis modo augetur, modo minuitur, prout illorum Principatuũ quies, & recta adminiſtratio poſtulat. Non igitur eſt de iure diuino inducta.

Ad hoc argumentum ſapientiſſimè, vt in omnibus, reſpondet Dominus Cardinalis Bellarminus hic, & maiorem,

202

rem, & minorem illius propoſitionem falſam eſſe. Quod enim maior falſa ſit patet, quia præceptum de non mœchando diuinum naturale eſt, & nihilominus à maxima hominum parte violatur. Ergo etiamſi exemptio eccleſiaſtica communiter ab omnibus Principibus violaretur, nō propterea tamen ſequeretur, eam de iure diuino non eſſe inductam. Quod autem minor falſa ſit, etiam patet, quia omnes Principes, qui modo Catholici ſunt, ſuas exemptiones Eccleſiaſticis, & ipſi ſeruant, & à ſuis Magiſtratibus cōſeruari compellunt. Poſſem hic recenſere maximos, ac omnium, quotquot in orbe terrarum ſunt, potentiſſimos, vereque Catholicos Principes, qui cum ampliſſimi illorum Magiſtratus non à ſumo Pontifice, ſed ab Antiſtitibus particularibus excomunicati, & alijs cenſuris irretiti fuiſſent, non potentiam ſuam quæ maxima eſt, adhibuerunt, ſed rem de iure diſcuti voluerunt.

Bona Eccleſiaſtica à ſeculari poteſtate de iure diuino exempta eſſe.

§. 10.

HACTENVS probatum eſt perſonas eccleſiaſticas de iure diuino à ſeculari poteſtate exemptas eſſe, nunc idem de rebus Eccleſiaſticis probari oportet.

Primo igitur hoc probatur per textum in d. cap. Quāquam: de cenſibus, ſupra, §. quinto allegatum, & declaratum, ibi enim ſummus Pontifex non ſolum de perſonis, ſed etiā de rebus eccleſiaſticis expreſſe loquitur, & vtraſq; nō de ſolo humano, ſed diuino etiā iure exēptos eſſe tradit

Secundo probatur, quia quæ Dei præcipua ſunt, ea de iure diuino ab humanis vſibus excepta ſunt. patet hæc propoſitio, quia eſſe Dei præcipuum nihil aliud eſt, quam ſolius Dei cultui ſeruire debere, aliter enim non eſſet Dei præcipuum, ſed Deo, ſi ita loqui licet, cum hominibus commune. At res eccleſiaſticæ, quæ diuinis ſcilicet vſibus, & miniſterijs deputatæ ſunt, Dei præcipuæ ſunt. Ergo de iure diuino ab humanis vſibus exemptæ ſunt. Minor huius argumenti probatur ex Concilio Tridentino Seſſ: 25. cap. 20. §. proptereaque admonet: de reform: vbi hæc verba habentur, eo ſanctius, quæ eccleſiaſtici iuris ſunt tanquam Dei, præcipua, eiusque patrocinio tecta venerentur, &c. Concilium autem loqui non de ſolis perſonis eccleſiaſticis, ſed etiam de eccleſiarum rebus patet ex verbis, quæ in fine eiuſdem §. habentur. Imitantes anteriores optimos, religioſiſſimosque Principes, qui res eccleſiæ ſua in primis auctoritate, ac munificentia auxerunt, &c. Probatur etiam eadem minor ex cap. Nulli liceat: & cap. Prædia diuinis: 12. quæſt. 2. quorum in primo hæc habentur verba. Nulli liceat ignorare omne, quod Domino conſecratur, ſiue fuerit homo, ſiue animal, ſiue ager, vel quiquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum Domino erit. In ſecundo autem capite ſic legitur. Prædia diuinis vſibus tradita quidam humanis applicant vſibus, & Domino, cui tradita ſunt, ea ſubtrahunt, vt ſibi inſeruiant, &c.

Tertio probatur eadem exemptio, ex cap. Non minus, de imunitate eccleſiarum, quod ſumptum fuit ex Concilio Lateranenſi: in eo enim ſic legitur. In diuerſis mundi partibus Conſules ciuitatũ & Rectores, & alij, qui poteſtatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Eccleſijs, vt deterioris conditionis factum ſub eis ſacerdotiũ videatur, quam ſub Pharaone fuerit, qui diuinæ legis notitiam

tiam nõ habebat. ille quidem omnibus alijs ſeruituti ſubactis, ſacerdotes, & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtrauit, &c. hic Concilium aperte ſentit ſacerdotes, & eorum poſſeſſiones diuino iure à ſeculari poteſtate exemptas eſſe. Idcirco enim dicit Pharaonem, qui diuinæ legis notitiam non habebat, ſacerdotes & eorum poſſeſſiones in ſua priſtina libertate reliquiſſe, quia ſignificare vult id multo magis fieri debere à Principibus Chriſtianis, qui diuinæ legis notitiã habent. At ſi ex diuina lege, vt vult libelli auctor, perſonæ & res eccleſiaſticæ ſubiectæ eſſent poteſtati ſeculari. Concilium non modo non afferret bonam rationem, quare Principes Chriſtiani perſonas eccleſiaſticas, & illarũ poſſeſſiones in ſua priſtina libertate relinquere magis tenerentur, quam Pharao, &c. ſed potius econtrario ſingularem, & efficaciſſimã rationẽ attuliſſet, qua Chriſtiani Principes, qui eccleſiaſticã libertatem violarent, factũ ſuum tueri poſſent. diceret enim. Nos qui diuinæ legis notitiã habem⁹, ac propterea ſcimus ex ipſa diuina lege ſacerdotes, & illorũ poſſeſſiones nobis ſubiectas eſſe, nõ peccamus, dũ iure noſtro nobis à diuina lege cõceſſo vtimur. Quare cũ Cõciliũ dicat Chriſtianos violãdo eccleſiaſticã libertatẽ peccare, & illorũ peccatũ augeri, quia diuinę legis notitiã habẽt, apertiſſime ſignificat eccleſiaſticã libertatẽ à diuina lege inductã fuiſſe.

Quarto probatur eadẽ veritas ex Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo, Seſſ. 9. in Bulla reformationis curiæ verſ. & cum fructuum, vbi ſic ſcriptum legitur. Et cum fructuum eccleſiaſticorum Cathedraliũ, & Metropolitanarũ, Monaſteriorumq; & aliorũ quorumcunq; beneficiorũ eccleſiaſticorũ plenaria diſpoſitio, & adminiſtratio ad nos, & ad Rõ. Pontificẽ pro tẽpore exiſtentẽ, & illos etiã, qui eiuſmodi eccleſias, Monaſteria, & beneficia iure, & Canonice obti-

obtinent, ſolum pertineant, ſecularesque Principes omni etiam diuino iure id prohibente dictis eccleſijs, Monaſterijs, & beneficijs, intromittere ſe nullatenus debeant, &c. Ecce Concilium dicit Principes ſeculares diuino iure prohiberi quominus ſe vllo modo intromittant in beneficijs eccleſiaſticis, ſeu illorum adminiſtratione.

Denique probatur eadem veritas etiam humanarum legum teſtimonio. Nam inſtitut: de rerum diuiſ. §. Nullius &c. dicitur res ſacras, & Religioſas nullius in bonis eſſe, ſed ad diuinum ius pertinere. Et idem habetur in l. 1. in prin. ff. eod. tit. Si ergo ipſemet leges ſeculares teſtificantur res ſacras in nullius bonis eſſe, ſed ad diuinum ius pertinere, quid eſt cur doctores priuati contra ipſosmet Principũ ſecularium leges affirmare audeant res eccleſiaſticas, quæ ſacrarum numero ſunt, Principibus ſecularibus ſubiectas eſſe, idque de iure diuino?

Perſonas, & res eccleſiaſticas poſſe per ſummum Pontificem à Principum ſecularium poteſtate eximi, & de facto exemptas fuiſſe.

§. II.

SI perſonæ & res eccleſiaſticæ de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exemptæ non eſſent, ſummus tamen Pontifex potuiſſet illas eximere etiam ſine ipſorum ſecularium Principum conſenſu. quod.

Probatur, quia Sumus Pontifex virtute ſuæ poteſtatis poteſt ipſe per ſe illa omnia facere, quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam in Christiano populo non ſolum reſtituendã,

ſed

ſed etiam perpetuo ſartam tectam à quibuſcunq; impedimentis conſeruandam pertinent. Hæc propoſitio patet, quia aliter Eccleſiaſtica poteſtas manca eſſet, nec ipſa per ſe ad ſuum finem conſequendum ſufficeret, ſi ad huiuſmodi facienda Principum ſecularium conſenſu indigeret. At exemptio Perſonarum & rerum Eccleſiaſticarum ad Eccleſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano populo non ſolũ reſtituendam, ſed etiam perpetuò ſartam tectam à quibuſcunq; impedimentis conſeruandam pertinet. Ergo Summus Pontifex talem exemptionem ipſe per ſe abſq; ſecularium Principum conſenſu facere poteſt. Minor propoſitio probatur ex Concilio Tridentino dictis, ſeſſ. decim. quinta. cap. 20. de reform. in prin. & in fine, vbi eam formaliter ponit, ſeſeq; ob hanc ipſam cauſſam ad eam conſtitutionẽ contra Eccleſiaſticæ libertatis violatores promulgandam adductum fuiſſe ſignificat.

Quód autem Summi Pontifices perſonas, & res Eccleſiaſticas à ſecularium Principum poteſtate re ipſa exemerint, probatur ex toto tit. de immunitate Eccl. & ex Concilio Tridentino loco cit.

M Si

Si perſonæ & res Eccleſiaſticæ de ſolo ciuili Iure exemptæ eſſent, non tamen illarũ exemptio à ſecularibus Principibus tolli, vel diminui poſſet.

§ 12.

QVoniam libelli auctor ſenſit Perſonas & res Eccleſiaſticas de ſolo Iure ciuili exemptas eſſe, & propterea tenet in Principum ſecularium poteſtate poſitum eſſe memoratam exemptionem tollere aut diminuere, prout illis viſum fuerit Reipublicę ſeculari expedire. Idcirco concluſionem hanc ſtatui, vt intelligat libelli auctor ſe non modo erraſſe, cum Eccleſiaſticam libertatem de Iure diuino inductam eſſe negauit. Sed in eo etiam hallucinatum eſſe, quòd exiſtimauerit poſito quòd Eccleſiaſtica libertas eſſet de Iure ciuili inducta, Principes poſſe eã mutare, &c.

Probatur primo. Princeps eo ipſo, quòd aliquẽ à ſua iuriſdictione eximit, ſe ipſum iuriſdictione ſupra illũ exemptum priuat, illũ verò exemptũ priſtinæ ſuæ libertati reſtituit. At nemo poteſt quenquã aliũ, qui liber ſit, ſub ſuã iuriſdictioné redigere, niſi ille, qui redigẽdus eſt, cõſentiat. Ergo Princeps nõ poteſt clericos à ſe ipſo exẽptos denuo ſub ſuã iuriſdictione redigere, niſi clerici ipſi conſentiant. Maior huius argumenti propoſitio patet, quia eximere à iuriſdictione nihil aliud eſt, quàm iuriſdictionis vinculo, & nexu liberare, ac ſoluere. Vinculo autem & nexu ſoluto Princeps non amplius habet illum hominem obligatum, quare & Princeps iuriſdictione priuatus eſt, & ille, qui antea ſubditus erat, in priſtinam libertatem fuit reſtitutus. Minor

etiam

etiam propoſitio clara eſt, quia nemini licet alium ſua libertate priuare & eum ſibi ſubditum facere.

Probatur ſecundo. Maior ratio eſt, vt liceat populis, qui ſe alieno imperio ſponte ſubiecerũt, ſeſe in libertatem aſſerere, & obedientiam Principibus ſuis denegare, quàm vt liceat Principibus, qui exemptionem aliquibus conceſſerant, denuo eos ſub ſuam iuriſdictionem redigere, & exemptione ſemel conceſſa priuare. Hæc propoſitio manifeſta eſt, quia libertas omnium rerum fauorabiliſſima eſt. L. libertas: 122. ff. de reg. iur. At non licet populis, qui ſe alieno imperio ſponte ſubiecerunt, ſeſe in libertatem aſſerere, & obedientiam ſuis Principibus denegare. Ergo multò minus licet Principibus, qui exemptionem aliquibus conceſſerunt, denuo eos ſub ſuam iuriſdictionem redigere, & exemptione ſemel conceſſa priuare.

Et quoniam frater Paul⁹ in ſæpius memorato libello tenet clericos exemptos fuiſſe ſolum à iuriſdictione officialium, & Magiſtratuum Principis ſecularis, non autem à ſuprema iuriſdictione ipſiuſmet Ptincipis, promitto me oſtenſurum eſſe in reſponſo ad eundem libellum clericos etiã poſito, quod de ſolo ciuili iure exempti eſſent, nihilominus tamen exemptos eſſe non à ſola Magiſtratuum, & officialium iuriſdictione, ſed ab ipſiuſmet Pincipis ſecularis ſupremo Imperio, idq; me probaturum per ipſorummet Venetorum confeſſionem ſępius ab illis clariſſime emiſſam, & factis comprobatam.

innoluit,ita implicat, vt eum nihil magis, quam lucem, formidare appareat, quare ne veritas opprimatur, conſtitui,ſi non omnia,at præcipua ſaltem,quæ à Venetis facta ſunt,ſigillatim ſubiicere,& ſingulorum ſcelus & impietatem breuiter demonſtrare.

Statuta & alia,in quibus Veneti peccarunt, atq; adeo nunc peccant.

§. primus.

PRimò igitur Veneti ſtatuerunt,vt bona,quæ laicis ab Eccleſia in emphyteuſin data ſunt, nullo vnquam tempore neq; ob lineæ extinctionem, neq; ob vllam aliam cauſſam ad Eccleſiã ipſam reuerti poſſint.

Secundò ſtatuerunt, ne quiſquam ſecularis, ſiue eccleſiaſticus in eorum ſtatu Eccleſias,Monaſteria, Hoſpitalia,aliaſue religioſas domos,& pia loca ſine eorum ſpeciali licentia fundet,& erigat ſub pœna exilij,perpetui carceris, publicationis fundi,ac venditionis ædificij,&c.

Tertiò,iidem Veneti ſtatuerunt,ne quis bona immobilia in eorum dominio ſita ad pias cauſſas teſtamento,ſeu donatione inter viuos relinqueret, aut aliò quouis titulo alienaret,ſiue ad eorum fauorem vltra certum expreſſum tempus obligaret ſub certis pœnis.

Quartò.Statuerunt,ne quis bonorum immobilium alienationes in fauorem eccleſiaſticarum perſonarum ſine ſenatus licentia facere poſſet ſub pœnis.

Quintò denique.Iidem Veneti Scipionem Saracenũ Canonicum Vicentinum, & Brandolinum Valdemarinum Foroiulienſem Abbatem Monaſterij,ſeu Abbatiæ de

Neruesa Taruiſinæ Diœceſis perſonam, in dignitate eccleſiaſtica conſtitutam ob quædam prætenſa crimina per illos, vt dicebatur, commiſſa carceri manciparunt, & mancipatos detinent.

Diſcutiendum igitur eſt, vtrum Veneti, cum hæc fecerunt, contra nullam legem fecerint, immo legem obſeruarint, ac ſuum retinuerint, & proptereа nullum peccatum, quemadmodũ illorũ patronus affirmat, commiſerint. An verò contra Deum hominesq; per ſummam impietatem peccarint.

Examinatur primum Venetorum ſtatutum.

§. 2.

PRIMO ſtatuto, vt dictum eſt, prohibent Veneti, ne bonorum, quę laicis ab Eccleſia in emphyteuſim data ſunt, dominium vtile cum directo vllo vnquam tempore conſolidetur. Antequam autem rationes; quibus ſtatutum hoc iniquum & iuri naturali contrarium eſſe probatur, in medium proferam, operæ pretium fore duxi à Venetis ipſis quærere, quid de bonis eccleſiaſticis exiſtiment, vtrum videlicet putent, illa iuriſdictioni ſuæ ſeculari ſubiecta eſſe, an non.

Si dixerint ea iuriſdictioni ſuæ ſeculari ſubiecta eſſe, difficile erit oſtendere, quem ad finem ſtatutum huiuſmodi condiderint Veneti, & quam ex illo vtilitatem expectarint. Etenim, ſi vera eſſet hæc illorum reſponſio, & opinio, ſequeretur, quod ſi Eccleſia ſolum dominium directum habet, illud dominium Venetis ſubiectum eſt, ſi autem Eccleſia dominium directum, & vtile ſimul habet, illud

illud pariter dominium directum, & vtile ſimul Venetis ſubiacet, atque ita nullum ius, nullaq́; ipſis iuriſdictio per cõſolidationem vtilis cum directo dominio deperit. Quod ſi reſponderint, nullum quidem ius, nullamq́; iuriſdictionem ſibi per conſolidationem huiuſmodi auferri, vtile tamen dominium laicis, penes quos antea erat, adimi, & in Eccleſiam transferri, ſe autem velle, vt tale vtile dominium penes laicos conſeruetur. Intelligo, ſed cur potius penes laicos id conſeruari, quam ad Eccleſiam; quemadmodum iuxta naturam contractus, & leges tam ciuiles, quàm canonicas & naturales æquum eſt, reuerti velint ſcire deſidero, nam vt iam dictum eſt, quod attinet ad Venetos ipſos, ſi illorum opinio vera eſt, nullum ipſi commodum ex remanſione vtilis dominij penes laicos, neque ullum incommodum ex eiuſdem domjnij ad eccleſiam reuerſione ſentiunt, apud vtroſcunq; enim fuerit dominium illud, æqualiter Venetis ipſis ſubiectum erit. Si dixerint ſe id facere, quia Eccleſia ſit valde diues, laici autem ſint pauperes, ac propterea ſe velle, modum Eccleſiæ diuitiis præfigere. At vt interim nihil dicam, quam id verum ſit, æquum non eſt quemquã ſuo iure priuari ob eam ſolam cauſſam, quod ipſe diues ſit, & alteri idem ius tradi, quoniam ſit pauper. Etenim ſi tale ius ſanciri poſſet, æquum eſſet aliquam ditionis partem ipſis Venetis aufferri, & quibuſdam Regulis, qui exiguam ditionem habent, tradi, & æquum fuiſſet annis præteritis aliquam Reipublicæ Venetæ inſulam occupari ab Epidauriorum Republica, nõ è contrario Epidauriorum Reipublicæ inſulam à Veneta Repub. contra omne ius inuadi, cum Veneta Reſpublica ſit multo opulentior, quam Epidauriorum Reſpublica. æquum deniq; eſſet non exiguam bonorum, & facultatum partem nonnullis patritijs Vene-

tis, qui maxime abundant, auferri, & alijs patritijs Venetis, qui magna rei familiaris inopia premuntur, aſſignari.

Quod ſi dixerint Veneti bona eccleſiaſtica ſuę ſeculari iuriſdictioni ſubiecta nō eſſe, ac propterea ſe nolle vt bona, quæ ſemel ad laicorum manus peruenerint, etiamſi cum certa conſolidationis conditione id factum ſit, vnquā amplius ad eccleſiam reuerti poſſint. Quærā, quomodo ſibi ipſis non contradicant, quomodo ſuam ipſi cauſſam non prodant. etenim cum profiteantur ſe poteſtatę tam ſupra perſonas, quam ſupra res eccleſiaſticas, à Deo immediate accepiſſe, neque ſeſe vnquam poteſtate huiuſmodi vel per priuilegij conceſſionem, vel per alicuius canonis acceptationem ſpoliaſſe, immo in illius poſſeſſione ab immemorabili tempore multorum ſeculorum, nedum annorum fuiſſe. Non video, quomodo nunc ſine manifeſta contradictione dicere poſſint bona eccleſiaſtica ſuæ iuriſdictioni ſubiecta non eſſe.

Videntne igitur Domini Veneti, quam elegans, quam egregiū ſtatutum condiderint, cum nullam illius condendi rationem afferre poſſint, niſi ipſi ſe in eas anguſtias conijciant, vt, ſi negent bona eccleſiaſtica iuriſdictioni ſuæ ſubiecta eſſe, ſibi ipſis repugnent, ſeſeque: quod cum bona illorum venia dictum ſit, mendacij conuincant. Si autem affirment bona eccleſiaſtica iuriſdictioni ſuæ ſubiecta eſſe, neceſſario illis fatendum ſit, ſeſe inepte prorſus, ac ſine vlla cauſſā ſtatutum illud condidiſſe, ex quo cum nullam ipſi vtilitatem capturi eſſent, maximam tamen totius Italiæ perturbandæ cauſſam ſeſe daturos videre potuerunt. Sed iam ſtatuti illius impietatem oſtendi, Venetosque cum tale ſtatutum condiderunt, contra omnes diuinas, & humanas leges peccaſſe demonſtrari oportet.

Primo igitur probatur eos peccaſſe contra leges ciuiles

208

per textum in l. iubemus: 14. §. ſi quando igitur: & Auth. Hoc ius porrectum: C. de ſacroſanct. Eccl. cuius quidem §. hæc ſunt verba. Si quando igitur vir religioſus œconomus huius Regiæ vrbis eccleſiæ perſpexerit expedire, vt deſideranti cuiquam certarum poſſeſſionum, atque prædiorum vrbanorum ſcilicet, atque ruſticorum ad ius eccleſiaſticum pertinentium temporalis vſusfructus poſſeſſio pro ipſius petitione præſtetur, tunc eius temporis, quod inter vtroſq; conuenerit, ſiue in diem vitæ ſuæ ab eo, qui deſiderat, poſtuletur, pacta cum eo, qui hoc elegerit, ineat œconomus, atque conſcribat, per quæ & tempus, intra quod hoc præſtari placuerit, ſtatuatur, & manifeſtum ſit, quod quiſque acceperit ab inuicem huiuſmodi beneficij gratia, præſtando quidem eccleſiaſtici prædij pro tempore vſumfructum, poſt ſtatutum autem tempus & placitum ipſorum, redituum proprietate ad dominiũ, & ius eccleſiaſticum recurrente firmiter &c. Ecce ciuili lege, quę etiã promulgata fuit nonnullis annis antequã Iuſtinianus imperaret, ſtatutũ fuit, vt finito tẽpore, intra quod bona laicis fruenda ab eccleſia data ſint, ſtatim ipſorum redituũ proprietas, quæ cõmuniter dominiũ vtile appellatur, ad eccleſiã firmiter recurrat. Veneti autem contrarium ſtatuerunt, ac propterea contra ciuiles leges peccaſſe conuincuntur.

Secundo contra eaſdem leges peccarunt, quia, Cap. 3. §. ſcire autem Emphyteutas &c. Auth. de non alienand. aut permutand. Collat. 2. ſtatutum fuit, vt emphyteutæ, qui biennio continuo non exoluerint emphyteuticum Canonẽ, ab emphyteumate cadant. Veneti autem neque ob hanc, neque ob vllam aliam cauſſam emphyteutas ab emphyteumate cadere poſſe ſtatuerunt, quare probatum remanet, eos contra legem ciuilem peccaſſe.

Tertio probatur eos peccaſſe contra leges Canonicas.

Quia ſupradictus §. ſi quando igitur, ex l. iubemus C. de ſacroſanctis Eccl. Canonizatus fuit in Cap. 2. §. fin. coniuncto principio Cap. ſequentis, 10. quæſt. 2. ſed quoniam Veneti dicunt ſe habere auctoritatem immediate à Deo tam ſuper bonis, quam ſuper perſonis Eccleſiaſticis, eamque auctoritatem non poſſe ſibi auferri per vllum Canoné, qui eſt ius humanum, per regulam iuris, quæ ait, quotiescunque concurrunt duo iura, minus debere cedere maiori. Idcirco ne ad huiuſmodi ſubterfugia recurrant, probabo eos, quando tale ſtatutum condiderunt, etiam contra ius diuinum naturale ab ipſomet Deo promulgatum peccaſſe.

Quarto igitur peccarunt Veneti contra ius diuinum naturale. Nam Deus Exodi 20. tradidit Moſi legé ab omnibus ſeruandam, eamque decem præceptis concluſit, quorum ſeptimum, quod n. 14. eiuſdem capitis habetur, ſic ſe habet: Non furtum facies. Si ergo probauero Venetos cótra hoc ſeptimum diuinæ legis præceptum feciſſe, quando ſtatutum illud ſuum condiderunt, ſimul probauero eos contra diuinum ius peccaſſe. Probo igitur, quia furtum eſt contrectatio fraudulosa rei alienæ inuito Domino ad proprietatem eius aut vſum, aut poſſeſſionem acquirendam. Nauarr. in manuali, Cap. 17. in prin. At Veneti cum ſtatutum illud condiderunt, rem alienam inuito Domino ſuo ad illius proprietatem, poſſeſſionem, aut vſum acquirendum fraudulenter contrectarunt, ergo &c. Minor huius argumenti propoſitio patet, quia eccleſia ius conſolidationis habebat, eamque inuitam iure illo per ſtatutum ſuum priuarunt.

Quinto denique peccarunt contra eum finem, ob qué Principatus initio conſtituti ſunt. Idcirco enim populi ab initio Principes ſibi conſtituerunt, vt ius ſuum vnicuique

inte-

209

integrum, & illæſum conſeruaretur. Veneti autem non modo ius ſuum eccleſiæ integrum, & illæſum aduerſus illius vſurpatores non conſeruarunt, ſed ipſimet iura Eccleſiaſtica inuaſerunt, & diſſiparunt, ex canibus videlicet lupi rapaces facti ſunt. Atque ita contra illã ſancti Pauli doctrinam quã illorum propheta cõtra veritatem torquet, impie & nefarie peccarunt. Cum enim ſanctus Paulus cap. 13. ad Rom. vellet excitare populos ad obedientiam, & amorem erga ſuos Principes, illa plane aurea ac penitus diuina verba ſubiecit. Vis autem non timere poteſtatem? bonũ fac, & habebis laudẽ ex illa. Dei enim Miniſter eſt tibi in bonũ, &c. At eccleſia ex parte ſua ſancti Pauli doctrinæ obediuit, bonum enim fecit, & ad Deum Opt: Max: pro omnibus communiter, & in ſpecie pro Venetis pias preces aſſidue fudit, ceteraque omnia ſtudioſe, ac diligenter præſtitit, quæ animabus ad æternam vitam ducendis expedire cognouit. Nunc dicant Veneti ipſi, qua tandem laude eccleſiam affecerint, & quod bonum eidem tanquam Dei Miniſtri procurarint.

Quæ hactenus de hoc primo ſtatuto diſputata ſunt, ea locum habent, etiamſi bona eccleſiaſtica nullã penitus exemptionẽ neq; de iure diuino, neq; de iure humano eccleſiaſtico, neq; de iure humano ciuili haberent. Principes enim tenentur ſuũ vnicuiq; ius conſeruare, nõ autẽ vni auferre, vt alteri tradant, quã enim iniuſtitiã in priuatis puniunt etiã capite, eam ipſi cõmittere non debent. Ideo enim illis tributa præſtantur, ideo populi pro illis in ſuo principatu conſeruandis etiam ſanguinem fundũt, vt ipſi pariter Principes ſuos ſubditos aduerſus iniurias tueantur. Quam bene quam egregie ſanctã hanc & maxime neceſſariam populorum cum Principibus coniunctionẽ, & quaſi Societatẽ cõſeruauerint Veneti, dicãt nunc vel Veneti ipſi

qui cum velint perſonas, & res eccleſiaſticas iuriſdictioni ſuæ ſubiectas, ipſi tamen eccleſiæ iüs ſuum per ſummam iniuriam, & nefarie abſtulerunt.

Et audebit vllus mortalium dicere Venetos, cum hæc faciunt, contra nullam legem facere, immo legem ſeruare, ac ius ſuum retinere, & propterea nulla in re peccare, neq; poſſe à ſummo Pontifice Chriſti in terris vicario, admoneri, vt à ſimilibus abſtineant, vt nulli iniuriam faciant, & ſi contumaces fuerint, non poſſe ab eodem ſummo Pontifice contra illos ea remedia adhiberi, quæ ab initio naſcentis eccleſiæ ad hæc vſque tempora adhibita fuerunt, & ſi adhibita fuerint, nulla, inualida, ac nullius momenti prædicare?

De hoc ſtatuto multo plura dicturus ſum in reſponſo ad memoratum libellum fratris Pauli, vbi idem frater Paulus cum alia multa, vt ſpero, tum hoc in primis intelliget, multo maius futurum Venetorum peccatum, ſi hoc ſtatutum eo modo intelligatur, quo ipſe accipi vult, quam ſi accipiatur eo modo, quo in ſummi Pontificis Monitorio expreſſum fuit. Verum de his hactenus, nunc ad ſecundum eorundem ſtatutum examinandum accedamus.

Exami-

210

Examinatur ſecundum Venetorum ſtatutum.

§. 3.

SECVNDO igitur loco ſtatuerunt Veneti, ne quiſquam ſecularis, ſiue Eccleſiaſticus Eccleſias, Monaſteria, Hoſpitalia, aliaſue religioſas domos, & pia loca, ſine eorum ſpeciali licentia fundet, & erigat, ſub pœna exilij, & perpetui carceris, publicationis fundi, & venditionis ædificij, &c.

Antequam explicem quàm à pietate alienum, quàm ab omni religione auerſum ſit ſtatutum huiuſmodi, non ab re erit, ſi quem ad finem à Venetis promulgatum fuerit, breuiter conſideraro.

Legi igitur eas Ducis Veneti literas, quas ad populos ſuæ ditionis ſcripſit, quibus videlicet perſuadere conatur ſe cum ſenatu ſuo iniuſtè excommunicatum fuiſſe, quod ſtatuta ab ipſis facta iuſta ſint, & ad ſecuritatem illorũ Imperij neceſſaria, & inter cætera hoc ſtatutum defendit, quia ſi paſſim poſſent ædificari Eccleſiæ & alia loca religioſa, & pia ſine illorũ ſcitu & licentia, ſæpius eueniret, vt ædificarẽtur in locis periculoſis, & à quibus periculum illorum fortalitijs impenderet, eueniret etiam, vt in illorum ſtatu introducerẽtur homines incogniti, & illorũ dominio parum amici.

Hæc ſcilicet ſunt, quæ memoratus Dux ad huius ſtatuti impietatem occultandam & cooperiendam allegat, quæ tamen talia ſunt, vt nullo negotio refelli, ac dilui poſſint. Etenim quæro ab ipſo Duce, quare ſi tantopere timet ſuis illis male fortibus fortalitiis, vt ob illorũ ſecuritatem templa in honorem Dei nuſquã ædificanda ſine ſuo ſcitu, & li-

centia putet, quare inquam, non idem etiam de priuatis domibus ædificandis exiſtimet. Etenim multo ſæpius euenit vt ædificentur priuatæ domus, quam templa, & alia loca pia, neq; minus occultari poſſunt homines incogniti, & illorum dominio parũ amici in priuatis domibus, quã in locis religioſis, & notoriũ eſt oĩa illorũ fortalitia habere multas priuatas domos viciniores, quã ſint loca pia & religioſa.

Dicet fortaſſe Dux præfatus priuatas domos ædificari à priuatis ſubditis, neq; eſſe adeo amplas, quam ampla ſolẽt eſſe monaſteria. At hæc reſponſio nihili eſt, nam in primis tot homines occultabuntur in duabus, tribuſue priuatis domibus, quot in vno monaſterio, & non raro ſubditi non valde amant ſuos Principes, quando ſub illis nullam vnquã alicuius momenti dignitatem ſperare poſſunt, & in Monaſteriis facile eſt ſcire qui ſint ibi ſuperiores amici, inimiciue, & ſi ſuſpecti ſint, facile eſt illos amouere, quod certe non eſt ita facile in priuatis domibus, illę enim habent ſuos perpetuos dominos, qui nõ poſſunt expelli ſine maximo motu, & propterea ſi hæc fuiſſet ſtatuti faciendi cauſſa, multo magis idẽ ſtatui debuiſſet de priuatarũ domorũ ędificatiõe.

Immo alia etiam ratione probatur hanc non potuiſſe eſſe veram cauſſam, quare ſtatutum tale conderent. Nam in primis, ſatis fuiſſet prohibere ædificationẽ templorũ intra certum ſpacium à fortalitijs. Deinde ſi dixerint, ſuam intentionẽ fuiſſe nõ ſolũ prohibere ædificationẽ in illis ſitibus, à quibus periculum fortalitijs poſſet impendere, ſed etiam ædificationem ædificiorum, in quibus illorum hoſtes poſſent occultari. Facile erit id refutare, nã quid opus erat prohibere ædificationẽ oratoriorũ, quę ſolent eſſe anguſtiſſima, & in quibus nullus ocultari ſine ſumma difficultate poteſt? Quid itẽ opus erat prohibere ædificationem hoſpitalium, intra quæ ſoli ægroti, & aliæ miſerabiles per-

211

ſonæ recipiunt,&q̄ ſemp̱ ab hōibus indigenis reguntur à q̄ genere hōium nullū vel leuiſſimū periculū naſci poteſt?

Deniq; etiāſi cōcedamus in priuatis domibus nō poſſe abſcōdi vllos hōies, q̄uis maximę eſſent, etiāſi cōcedamus ex priuatis domibus nullū fortalitiis periculū oriri poſſe, etiāſi cōcedamus oēs religioſas domos, & pia loca ampliſſima eſſe, plurimoſq; in illis hōies abſcōdi, maximaq; ex illis detriméta fortalitijs inferri poſſe. nō tn̄ cōtinuo ęquū erit ꝓhibere ne Eccleſię, monaſteria, religioſę domus, & alia loca pia ſine illorū licétia ædificari poſſint. Cum ſatis ſit, quādo aliq̱s vult aliqué ſimilé locum ędificare, ſi appareat, ędificationé illā aliq̱d incōmodi habituram, ꝓcurare, vt omittatur; hoc enim modo multo ſuauius & fortalitiorū, ac ſtatus ſecuritati cōſulitur, & diuinus cultus nō impedit̄. Quare exiſtimo hoc ſtatutū ortum eſſe ab illa eadé radice à qua ſuperius, quæ qualis ſit etiam hic oſtendendum eſt.

Dico igit̄ primo hoc ſtatutū eſſe cōtra diuinā legé naturalé, videlicet cōtra primū p̄ceptum Decalogi, quo iubemur vnū Deū colere. Probatur. is peccat cōtra 1. Decalogi præceptū, qui facultaté diuini cultus ꝓmouendi, & augédi reſtringit. hæc ꝓpoſitio eſt manifeſta ipſa p̱ ſe, etenim primo Decalogi p̄cepto hōes Deū colere, & venerari iubent̄, & Dux Venetus eā intelliget, ſi cōſiderabit, quo aío afficeretur contra illū ſubditū ſuū qui ꝓhiberet ne alij ſubditi q̄dā facerét ad honorandū ipſum Ducé, ſeu illius Remp. ſine illius ſubditi ſcitu, & licentia, certe tanto furore cōtra illū cōcitaretur, vt non eū modo tollere, ſed illius quoq; nomen & memoriā de libro filiorū D. Marci delere cōtenderet. At ipſe quoq; Dux, qui eſt Dei ſubditus, facultaté diuini cultus augédi & ꝓmouendi reſtringit, cū hōies, q̱ pariter Dei ſubditi ſunt, ꝓhibeat tépla, monaſteria, religioſas domos, & alia pia loca in honoré Dei ædificare, niſi prius habita ipſius licentia, & hoc modo ipſe, qui, quemadmodum dixi, Dei

ſubditus eſt,vult eſſe quaſi arbiter cultus Deo tribuendi, vt ſi ipſi Duci placeat,tribuatur;ſi non placeat,non tribuatur, atq; ideo vult Deum quodam pacto teneri, & obligatum eſſe gratias ſibi Duci agere, quando ſcilicet permiſerit aliquod templum ad illius honorem ædificari.

Neq; obſtat quod à nonnullis in fauorem Venetorũ dicitur,quod ſcilicet hoc ſtatutum vtile ſit ipſi diuino cultui, quia cum euenire poſſit,vt templa in honorem Dei ædificentur in locis parũ honeſtis,& decentibus, per hoc ſtatutũ huic incommodo occurritur,cũ enim illius vigore ſine licentia Principis Veneti templa ædificari non poſſint, ipſe Princeps talem licentiam non dabit,ſi viderit locum, in quo templum ædificandum erit,honeſtũ, & decentem non eſſe.Hæc inquã reſponſio nõ obſtat, quia aperte ſapit hęreſin Anglicanã,cura enim decentiæ & honeſtatis locorum,in quibus ædificari debent templa in honorem Dei, cõmiſſa eſt ſummo Pontifici ab ipſo Deo,non autẽ Principi ſeculari,neq; contrarium ab ipſo Principe ſeculari ſine manifeſta hæreſi dici aut tentari poteſt.

Dico ſecundo hoc idẽ ſtatutum eſſe contrariũ miſericordiæ illi,qua pauperes Chriſti cõplecti,& fouere debemus.Probatur eodẽ modo,quia reſtringit facultatem exercendi miſericordiam in pauperes,& peregrinos,&alias miſerabiles perſonas,quæ in hoſpitalibus,aluntur, curantur, & ſubleuantur,eo ipſo enim quod volunt hõies miſericordes non poſſe vllum hoſpitale ad exercenda miſericordiæ opera ædificare,niſi prius quæſita,& habita illorum licentia,miſericordiam huiuſmodi difficiliorem reddunt,& ab ea homines abſterrent.

Dico tertio, etiãſi Eccleſiæ,&res eccleſiaſticæ neq; diuino, neq; humano põtificio,neq; humano ciuili iure à ſeculari poteſtate exẽptæ eſſent,nihilominus tamen prædictum

dictum ſtatutũ fore contrariũ Religioni erga Deum, & miſericordiæ, erga pauperes, cum ſemper reſtrictiuũ ſit diuini cultus & miſericordiæ. Immo eſſet quodãmodo magis irreligioſum, & magis immiſericors, quia Veneti nullam cauſſam fingere poſſent, cur tale ſtatutũ cõderent, etenim ſiue bona ſeruirent diuino cultui ſiue non, & ſiue ſeruirent operibus miſericordiæ, ſiue non, ſemper eſſent æque ſubiecta illorũ iuriſdictioni & adminiſtrationi, idq; de iure diuino, vt illorũ propheta affirmat, & ideo nõ videretur potuiſſe naſci aliunde, quã à contẽptu Religionis erga Deũ & crudelitate contra pauperes, & alias miſerabiles perſonas.

Potuiſſẽ etiã cõtra hoc ſtatutũ ciuiles & canonicas leges allegare, ſed quia breuitati ſtudeo, & quia res agitur cũ iis, qui Chriſto ipſi non parcunt, immo eũ poteſtati ſeculari ſubiectum fuiſſe affirmant, non neceſſe duxi ea proferri in medium, quæ cũ libellum hunc longiorẽ feciſſent, à Venetis tamen, qui ſe à Deo imẽdiate poteſtatẽ habere gloriantur, facile contemnerentur. Quare ad tertium ſtatutum examinandum aggrediamur.

Examinatur tertiũ Venetorum ſtatutũ.

§. 4.

TERTIO loco ſtatuerunt Veneti, ne quis bona imobilia in illorũ dominio ſita ad pias cauſſas teſtamẽto ſeu donatione inter viuos relinqueret, aut alio quouis prætextu, ſeu titulo in eccleſias alienaret, ſiue ad earũ fauorem vltra certum, expreſſum tempus obligaret, ſub certis pœnis.

Et ne quis dicat me cum Venetis non bona fide agere, quia ipſi permiſerunt, vt aſſeritur, relinqui bona ſtabilia ad cauſſas pias, ſed iuſſerunt ea intra biennium vendi, & il-

libus caſibus faciendos præſcripſerunt,& quotidie has alienationes fieri vident,qui negotia & cauſſas ſignaturæ gratiæ in Romana curia tractant.

Deindequod etiamſi verum eſſet,Eccleſiã bona ſua ſtabilia nunq̃ alienare,nihilominus tñ nullum ſubeſſet periculum, ne bona oĩa ſtabilia,aut maior,media,aliaue valde notabilis illorum pars ad Eccleſiam tranſiret, probatur diuerſis rationibus,ijſq; valde claris.

Primo enim nullo modo fieri poteſt,vt hõies ſe,filios,& alios conſanguineos ſuos bonis ſuis priuent,vt de eiſdẽ bonis Eccleſiã collocupletent.Cum n. hõies naturaliter appetãt non ſolum cõmoditates,ſed etiã quandam nobilitatẽ,& excellentiam ſtatus ꝓ ſe, & filijs,alijſq; conſanguineis ſuis, eaq; in omni poſteritate ſua ad perpetuum tempus conſeruari maxime cupiant,nullum periculum eſt,ne ijdem homines contra hunc appetitum, & naturalem inſtinctum, qui ſæpius etiam modũ ſuperat,ita pugnent, vt ſponte ſua ſe ipſos,filios,& conſanguineos, ac poſteros ſuos ad paupertatem redigant,quo Eccleſiam & alia loca pia ditiora efficiant.At inquiet quiſpiã,inueniũtur aliquando mulierculæ,quæ bona ſua,conſanguineis poſthabitis,Eccleſiæ relinquunt.Ego vero fateor non mulierculas modo, ſed mulieres etiam, eaſq; egregie cordatas, immo & viros valde prudentes extitiſſe,qui,& quæ id fecerunt, & in poſterum etiam futuros,qui idem facient,nego tñ vllum ex hoc periculum imminere.non pauciora enim bona Eccleſiæ quotidie depereunt,quã per largitiones huiuſmodi accreſcũt, quod quomodo ſeſe habeat, infrà explicabo.

Secũdo habemus experientiã mille, & ſexcẽtorũ annorum,quo temporis ſpatio vnicuiq; liberum fuit Eccleſiæ tã in vltima voluntate,quam inter viuos largiri,quæcunque qualiacunq; & quantacunq; bona voluit.Dicant igitur Do-

mini Veneti vnde factum ſit, vt Eccleſia in tra tantum tam multorum ſeculorum ſpaciũ, & in tanta ei largiendi libertate tam exiguam tñ bonorum ſtabilium partem hactenus acquiſiuerit. Effutiant enim quidquid volunt, Eccleſia decimam bonorum ſtabilium partẽ non habet.

Terto, quia multo plures ſunt, qui eccleſiaſtica bona vſurpare contendunt, & de facto vſurpant per fas, & per nefas, quam qui pietatis ſtudio ſua bona Eccleſiæ largiuntur, neceſſe eſt enim, vt eueniant ſcandala, & vt in tãta hominũ multitudine non pauci ſint, qui conſcientiæ immemores eccleſiaſtica bona vel fraudibus, vel rapinis, vel quocunque alio modo inuadant, ac propterea, cum quotidie aliquid de bonis Eccleſiæ ſtabilibus hominum malitia corradatur, ſi aliquid eidem aliorum hominum pietate non adiungeretur, tandem ad ſummam bonorum paupertatem, & penuriam Eccleſia redigeretur.

Deniq; etiã ſemota hõium malitia multa indies fortuitò eueniunt, ob quæ iura & bona eccleſiaſtica extinguuntur, verbi gratia incendia, ruinæ, inundationes, hõium mortes, & alia id genus, quæ ſæpius integra Archiuia delẽt, inſtrumenta, teſtamenta, rationes, Regeſta, & alias ſcripturas, in quibus eccleſiaſtica iura continentur, perimunt, quibus peremptis, quanta bonorum eccleſiaſticorum diminutio conſequatur, ipſis Venetis dicendũ relinquo. Deberent ergo Domini Veneti, ſi ſunt iuſtitiæ auctores, rationẽ aliquã inuenire, qua & hõium malitijs, & fortuitis caſibus occurrerent, qua deniq; Eccleſiæ cauerent, ne in poſterum illius bona tot dãnis ac detrimentis ſubiacerent. Non autẽ contra omnẽ pietatẽ eadẽ bona inuadere, & peſſimũ malis hominibus idẽ faciendi exemplum præbere. Æquum eſt n. vt qui prouidere volunt, ne Eccleſia maiorem bonorũ quantitatẽ acquirat, iidem prouideant etiã, ne eccleſiaſtica bona ad minorem quantitatẽ redigantur.

Deniq;

214

Denique hæc ratio ſtatuti eſt ipſiſmet Venetis contraria, etenim aut Veneti de iure diuino habent auctoritatem ſuper bonis eccleſiaſticis, aut non habent. Si de iure diuino ſimilem auctoritatem habent, falſum eſt, quod dicunt, hoc videlicet ſtatutum neceſſarium eſſe ne tandem bona ſtabilia, vel maior illorum pars in eccleſiam tranſeat, & ita Veneti ſuis iuribus, regalijs & tributis fraudentur, nā ſi de iure diuino poſſunt ſtatuere tam ſuper bonis eccleſiaſticis, quam ſuper bonis ſecularibus, & iſta ſua poteſtate nunquam ſe vel per priuilegij conceſſionem, vel per Canonis acceptationem priuarunt, quid eſt, cur tot ambagibus vtantur? cur ſe ipſi implicent, & impediant? cur non vtuntur iſto ſuo diuino iure, & tam ab eccleſiaſticis, quam à ſecularibus tributa, regalias, & alias honorantias exigunt? & abſque dubio, ſi de iure diuino ſimilia facere poſſunt, ſtulti ſunt, qui tantam diuini iuris bonitatem non agnoſcunt. Quod ſi reuera diuinum ius hanc illis auctoritatem non dat, quemadmodum non dare, & ſupra probatur, & ipſimet Veneti per iſta ſua ſtatuta apertiſſime profitentur. Quid eſt cur ſe à Deo ipſo immediate auctoritatem tam ſuper bonis Eccleſiaſticis, quam ſuper bonis ſecularibus accepiſſe tam perſeueranter affirment, quid eſt, cur iſtud ſuum mendacium ad homines ſimplices decipiendos à pſeudo Theologis per libellos promulgari tantopere ſtudeant? Nō vident hæc inter ſe non cohærere, hæc ſecum ipſa pugnare, vt & diuino iure ipſi ſuper bonis Eccleſiaſticis auctoritatem habeant, & nihilominus, dum Eccleſia bona ſtabilia acquirit, ſuis ipſi iuribus defraudentur? ſed iam tempus eſt ſtatutum ipſum videre, & quam elegans, quam pulchrum, quam deniq; ſpecioſum ſit, aliquāto attentius conſiderare.

Dico igitur hoc eſſe ſtatutum Cainicum. Cain enim, cum vel à parētibus ſuis inſtitutus, vel naturali lumine edo-

ctus videret primitias fructuum Deo optimo maximo tanquam bonorum omnium datori offerendas eſſe, ſtatuit oblationem hanc non penitus omittere, ac propterea Domino de fructibus terræ munera quidem obtulit, ex fructibus tamen ipſis deteriores, quos Deo offerret, elegit, & ideo Deus ad Cain, & ad munera eius non reſpexit. Caino multo deteriores ſunt Veneti. Cainus enim ipſe de ſuis fructibus deteriores offerebat. Veneti autem, cum nihil ipſi de ſuo offerant, quæ ab alijs Deo oblata ſunt, ea Deum ipſum rebus multo deterioribus permutare compellunt, bona enim ſtabilia ſi DEO oblata ſunt, illa vendi, & de illorum precio annuos fortaſſe reditus emi præcipiunt, atque ita tria maxima damna Eccleſiæ inferunt.

Primum damnum eſt, quoniam eccleſia cogitur quaſi mendicare de anno in annum à ſecularibus illos reditus, quos à ſuis bonis ſtabilibus ſine vlla contradictione, & reſiſtentia percepiſſet, conſtat enim ſæpiſſime naſci lites, diſcordias, rixas, & alia huiuſmodi inter eos, qui ſunt cenſuum creditores, & eos, qui ſunt eorundem cenſuum debitores.

Alterum, & quidem maximum damnum eſt, quod cum ſæpius cenſuum debitores moriantur pluribus hæredibus relictis, & ſinguli hæredes ſuam tantummodo cenſus portionem ſoluere teneantur, cogitur Eccleſia reditum illum, quem ab vno emit, aliquando ſucceſſu temporum à viginti, triginta, & pluribus etiam debitoribus exigere. Imo ex hac diuiſione ſæpius cenſus ad particulas adeo tenues rediguntur, vt operæ precium non ſit pro illis ſigillatim exigendis laborare.

Tertium atq; omniũ deterrimum damnũ eſt, quod hac ratione Eccleſiæ Miniſtri fiunt populis odioſi, cũ enim ec-

215

cleſia cogatur emere cēſus à priuatis hominibus, neceſſario fit vt priuati eccleſiæ cenſuarij, & debitores efficiantur. At hoc fere eſt à natura hominib⁹ attributū, vt creditores ſuos parū ament, & multi cū eos vidēt, quaſi inferni diabolos ſibi videre videntur. Et ratio eſt, quia homines naturaliter appetunt eſſe liberos, & ab omni vinculo ſolutos, debitores autem quodam quaſi vinculo creditoribus ſuis obſtricti tenentur, illiuſque vinculi, cum creditores ſuos vident, cōtinuo recordantur.

Cum hæc ſcripſiſſem, mihi ad manus venit memoratus fratris Pauli libellus, ex quo mihi videor elicere mentem Venetorum eſſe, vt Eccleſia bona ſtabilia, quæ illi in poſterum relinquentur, vendat, & precium penes ſe retineat, neq; illud in reddituum añuorum emptione collocare valeat. Ex quo patet multo durius eſſe ſtatutum hoc, quã ego exiſtimaram. Et certe ſi ſibi conſentire volunt Veneti, aliter eſſe non poteſt. cum enim velint periculum eſſe, ne eccleſia, ſi ei permittatur bona ſtabilia acquirere, omnia tandem bona huiuſmodi ſua faciat, exiſtimare etiã debent periculum eſſe, ne eadem eccleſia, ſi ei permittatur annuos reditus acquirere, omnes tandē bonorū omnium reditus ſuos faciat. Et ideo Veneti, ſi volunt periculum hoc penitus amouere, debent eccleſiæ non ſolum bonorum immobilium, ſed etiam annuorū acquiſitionem interdicere. Quo interdicto effectum habente, Eccleſia exiguo temporis ſpacio pauperrima, & bonorum omnium egentiſſima efficietur. quemadmodū in reſponſo ad memoratū libellū monſtrabo, & ex ijs etiã, quæ ſupra explicata ſūt, ſatis clare patet.

Dico ſecūdo ſtatutū eſſe omnino Cainicū, etiamſi bona eccleſiaſtica nullo iure neq; diuino, neque humano Canonico, neque humano ciuili à ſeculari iuriſdictione exempta ſint. Imo, ſi dicta bona exempta non eſſent, ſtatutū illud

multo

tuerit Dominos Venetos ad ſimile ſtatutum faciendum. Et quamuis difficile admodum ſit excogitare, qua ex re impelli potuerint, vt tam inſignem iniuriam ordini Eccleſiaſtico inferrent, tamen cum apertiſſimis indicijs vidimus Venetos ſumma cupiditate affici, ne vlla bona in eos tranſeant, qui ab illorum iuriſdictione exempti ſunt, fortaſſe dicere poterimus, ſtatutum huiuſmodi ideo ab illis factum fuiſſe, quia cum ſæpe occaſione bonorum ſtabiliũ oriantur controuerſiæ etiam perſonales contra illorum poſſeſſores, cumque actores teneantur ſequi reorum forum, iudicarunt, quo plura bona ſtabilia tranſirent ad clericos, eo plures cauſſas in foro Eccleſiaſtico tractari oportere, ac propterea voluerunt tali Eccleſiaſticæ iuriſdictionis augmento occurrere. Verumtamen hæc ratio locum habere non poteſt in Venetis. ij enim dicunt ſe de iure diuino auctoritatem habere nedum ſupra bona ſecularia à clericis poſſeſſa, ſed etiam ſupra ipſas clericorũ perſonas, quare nihil fuit, cur ob hanc cauſſam laborarent, ne clerici bona aliqua ſtabilia acquirerent. Quare ne cogar dicere illos ab vno odio contra ordinem Eccleſiaſticum motos fuiſſe ad ſtatutum huiuſmodi faciendum, permittam ipſis, vt quamcunque voluerint, cauſſam confingant, ſpero videlicet eos ſuo ſe gladio iugulaturos, oſtenſuros ſcilicet ſe ipſos mentitos fuiſſe, cum dixerunt ſe de iure diuino auctoritatem ſupra clericos habere. Interim ego ſtatutum hoc iniuſtum, & impium eſſe oſtendam, idque multis rationibus.

Primo quia illud ſtatutum iniquum, & iniuſtum eſt, quod eam iuris æquabilitatem violat, & euertit, quã Principes in populis, & ciuitatibus ſibi ſubiectis tueri & conſeruare debent. Hæc propoſitio manifeſta eſt, quia Principatus ob hanc ipſam cauſſam inſtituti ſunt vt ſinguli pri-

uati homines iuris æquabilitatibus vterentur. At Venetorum ſtatutum illam iuris æquabilitatem euertit, quam in populis ſibi ſubiectis conſeruare tenentur. Igitur iniquum, & iniuſtum eſt. Aſſumptio probatur, quia iuris æquabilitas in eo poſita eſt, vt quod vni ciuium licitum ſit, alteri non prohibeatur, & quod vni prohibitum ſit, alteri non concedatur. memoratum autem ſtatutum aperte contrarium inducit, nam cũ omnibus laicis conceſſum ſit bona ſtabilia acquirere, hoc ſolis clericis interdicitur.

Secundo illud ſtatutum iniquum, & iniuſtũ eſt, quod deteriore conditione eos facit, qui maiore honore & præmio digni ſunt. At Venetorum ſtatutum deteriore conditione clericos facit, quam laicos, & tamen clerici maiore honore & præmio digni ſunt, quam laici. Ergo ſtatutum huiuſmodi iniquum, & iniuſtum eſt. Maior propoſitio ipſa per ſe nota eſt. Minor etiam propoſitio quatenus dicit Venetorum ſtatuto clericos deterioris conditionis fieri, quã laicos, clara eſt. Quod autem clerici maiore honore, & pręmio digni ſint, quam laici, probatur, quia maiore honore, & præmio digni ſunt qui pro populis, atque adeo Principibus ipſis, quaſi rationem Deo pro illorum animabus reddituri, quam qui tam excellenti munere non funguntur. hæc ipſa per ſe patet, & probari poteſt ex diuo Paulo ad Rom. 13. nu. 6. vbi dicit populos ſuis Principibus tributa ideo præſtare, quia Dei Miniſtri ſunt, in hoc ipſum ſeruientes &c. vt videlicet bona populis ſuis procurent. At clerici, & Præpoſiti eccleſiaſtici pro populis, atque adeo Principibus ipſis peruigilant, quaſi rationem Deo pro illorum animabus reddituri. D. Paulus, ad Heb. 13. n. 17. ergo &c.

Tertio illud ſtatutum iniquum, & impium eſt, quod homines auertit, & deterret à diuini cultus ſtudio. patet quia eſt contra Religionem, & primum Decalogi pręceptũ, quo

quo homines Deum colere iubentur. At hoc Venetorum ſtatutũ homines à diuini cultus ſtudio auertit, & deterret, ergo iniuſtum, & impium eſt. Probatur minor propoſitio, quia quo quis peius in aliquo ſtatu tractatur, eo difficilius ſeſe ad eum ſtatum promoueri patitur. At peius tractantur clerici, quam laici, ergo homines difficilius patientur ſeſe ad clericatum promoueri, qui clericatus eſt proprius illorum ſtatus, qui diuino cultui inſeruiunt.

Et dicant Veneti, ſi aliqua illorum ciuitas ſtatueret, vt qui pro illorum Republica militaret, is eo ipſo iure aliquo priuaretur, quo ceteri ciues gauderent, quam æquo animo id ferrent, quam non potius ciuitatem huiuſmodi læſæ Maieſtatis ream iudicarent, & punirent? At clerici pro DEO militant, diuino ſcilicet cultui inſeruiunt, & diuinum cultum aduerſus illius hoſtes tuentur, & conſeruant, quomodo ergo poterunt Veneti, qui DEI ſubditi ſunt, ſine ſumma impietate, & nefario ſcelere ſtatuere, vt clerici eo ipſo, quod clerici ſunt, iuribus illis priuarentur, quibus ceteri ciues omnes gaudere permittuntur?

Ex his clarum eſt quatuor illa ſtatuta contraria eſſe omni diuino, & humano iuri, idque locum habere, etiamſi nulla penitus exemptio bonis, vel perſonis Eccleſiaſticis competeret. Et propterea Venetos, cum illa ſtatuta condiderunt, mortaliter peccaſſe, & in peccato mortali permanſuros eſſe, donec eadem ſtatuta reuocarint, idque verum eſſe quamuis res hæc nunquam ad aures ſanctiſſimi Domini noſtri perueniſſet, neque vnquam ab ipſo ſanctiſſimo Domino noſtro admoniti, & de ſimili peccato reprehenſi fuiſſent, ſunt enim ſuapte natura contraria iuri naturali, & euertunt eum finem, ad quem Principatus cõſtituti ſunt, quemadmodum ſupra ſatis ſuperq; demon-

ſtratum fuit, & in reſponſo ad ſæpe dictum fratris Pauli libellum multo fuſius demonſtrabitur. Reſtat vt de perſonis eccleſiaſticis à Senatu Veneto in carcerem miſſis, & male mulctatis aliquid dicamus.

Examinatur quinta Venetorum actio hoc eſt Eccleſiaſticarum perſonarum in carcerem miſſio.

§. 6.

QVINTA Venetorum impietas talis, & tanta eſt, vt omnes alias eorundem impietates longo interuallo ſuperarit. Chriſtos enim Dei non ſolum tetigerunt, ſed etiam in carcerem miſerunt, & in poſterum etiam mittere, ac ſi ita Deo placuerit, necare volunt. hoc igitur tam nefarium illorum ſcelus, hanc tam impiam illorum crudelitatem, & tam crudelem impietatem iuxta regulas luminis naturalis breuiter examinabo, & quid ab omnibus mundi Principibus fieri ſoleat explicabo.

Eo ipſo igitur, quod aliqui aſſumuntur ad ſeruitia Principum, Ducum, Regum, Imperatorum, & aliorum iuriſdictionem ſupra populos habentium, ſtatim abſque vlla alia declaratione eximuntur à iuriſdictione, & coercitione omnium Magiſtratuum, & Officialium, qui in tali Principatu, Ducatu, Regno, & Imperio ius reddunt, neq; vllus eſſet Magiſtratus quãtumuis magna iuriſdictione munitus, qui propriũ ſui Principis famulũ, vel Miniſtrum etiã minimum

218

mum tangere, vel de vllo peccato punire auderet, ipſum e-nim naturale lumen docet, qui ſupremo Principi immediate ſeruiunt, ab ipſo ſupremo Principe immediate pendere, neq; vllum hominem poſſe in eos ius aliquod vindicare, vel aĩaduertere, niſi cui facultas hæc ab ipſo Principe particulatim data ſit.

Ratio autem eſt, quia quod attinet ad huiuſmodi perſonas Princeps non eſt merus Princeps, ſed etiam eſt herus, & paterfamilias, & perſonæ ipſæ non ſunt meri ſubditi, ſed ſunt etiam famuli, maximum autem inter herum & famulum vinculum intercedit, cum vnam & eandem familiam conſtituant, neq; vlla iniuria famulo inferri poſſit, quin herum quoq; afficiat, neq; hero, quin ipſum quoq; famulum contingat. Hinc videmus nobiles ac potentes ad ſummas aliquando rixas, & ſimultates deueniſſe ob leues iniurias eorum famulis illatas. Et videmus ſummorum Principum famulos, quamuis aliquando diſcoli ſint, ab omnibus tamẽ honorari etiam ijs, qui ſunt alioqui & nobilitate, & opibus multis partibus ſuperiores, quod quidem non aliunde naſcitur, quam quia in perſona famuli, heri perſona honoratur.

Si igitur Principum famuli eo ipſo, quod Principum famuli ſunt, ab omnium Principatus Magiſtratuum iuriſdictione eximuntur. Dei famuli à Principum ſeculariũ, qui Dei Miniſtri, & quaſi magiſtratus ſunt, poteſtate non eximentur? & ſi Principum famuli, quamuis diſcoli ſint, ab omnibus tamen etiam Principatus Magiſtratibus coluntur, & obſeruantur, Dei famuli à Principibus ſecularibus, qui diuini Principatus quaſi quidam Magiſtratus ſunt, non modo non colentur, & obſeruabuntur, ſed etiam, ſi qua in re offenderint, condemnabuntur, punientur, ac, ſi ita caſus tulerit, necabuntur? Et ſi nobiles ac potentes, ſi

qua in re eorum famuli etiam diſcoli violati ſunt, iniuriã ſibi illatam iudicant, eamq́; oĩbus mortalibus approbantibus vlciſcuntur. Deus Opt. Max. qui eſt nobilis nobilium, Rex Regum, & Dominus Dominantium, ſi illius famuli, qui eius cultui diu, noctuq́; inſeruiunt, etiam diſcoli violati fuerint, iniuriam ſibi illatam non exiſtimabit, nõ puniet, nõ vlciſcetur?

Si nulla lex, nullus Canon, nullum diuinum, aut humanum ius ſcriptum extaret, certe ſola naturalis ratio, ſolum naturale lumen ſatis ſuperq; docere nos deberet clericos, qui præcipui Dei famuli ſunt, cum diuino cultui famulentur, eſſe ab omni humana poteſtate exemptos, neq́; quempiam, cui hæc auctoritas in ſpecie data non ſit, poſſe in eos etiamſi peccauerit, animaduertere, & ſi quis hoc attentare auſus fuerit, hunc eſſe contra Deum impium, & læſæ diuinæ Maieſtatis reum.

Rationem hanc ab libertaté eccleſ. probandam, quæ mihi tamen multis ab hinc annis in mentem venit, quãuis nullum vnquã eius auctorem habuerim, cum ego hoc loco illis ipſis verbis explicaſſem, quæ proxime ſupra leguntur, ad meas manus venit doctiſſimi atq́; omnium mortalium fama celebratiſſimi viri Dñi Cardinalis Bellarmini libellus, quo hiſce huius pſeudotheologi propoſitionibus reſpondet. In eo igitur libello hanc eandem rationem & ſibi placere, & duobus ex omni antiquitate ſapientiſſimis, ac præſtantiſſimis Patribus D. Auguſtino, & D. Hieronymo placuiſſe teſtificatur.

Huc transferri poſſent rationes illæ, quibus ſupra abunde probatum eſt clericis, & bonis eccleſiaſticis exemptioné de iure diuino competere. Verum vt dixi, ſatis eſſe debent, quæ lumine ipſo naturali docemus. Veneti enim, ſi ſuas ipſorum conſcientias conſulent, ſi conſiderabunt, quo modo

do afficiantur, cum aliquem ex ſuis famulis etiam diſcolū male ab aliquo tractatum fuiſſe audiunt, intelligent profectò hanc nobis à natura ipſa datam eſſe appetitionem, vt quos in noſtris ſeruitijs habemus, eos maximo quodam neceſſitudinis vinculo nobiſcum coniunctos eſſe exiſtimemus, eoſq́; ab omnibus honorari, & benigne excipi, ac tractari maxime expetamus, neq; fieri poſſe, vt eos violatos, læſos, aut malè tractatos ab aliquo putemus, quin nos quoq; ſimul ab eodem violatos, lęſos, & male tractatos, fuiſſe arbitremur. & cum hoc in ſe ipſis experti fuerint, tū mentes ſuas altius tollant, & in Deum, cuius inuiſibilia à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, quantum humanæ illorum uires patiuntur, defigāt. Certe videbunt ſummo illi, ac præpotenti rerum omnium Creatori Deo cariſſimos illos eſſe oportere, qui præcipui illius famuli ſunt, quiq; diuino illius cultui præcipue famulantur, & inſeruiunt. neq; fieri poſſe, vt homines huiuſmodi ab vllo mortali violentur, lædantur, aut male tractentur, quin ipſum quoq; Deum ab eodem violari, lædi, ac male tractari contingat. quemadmodum enim diuina Maieſtas omnem humanam Maieſtatem longiſſimo interuallo ſuperat, ita diuina bonitas, & caritas omni humanæ bonitati, & caritati infinitis partibus excellit.

Delen-

Delentur rationes, quibus libelli auctor propoſitionem ſuam fulcire contendit,

§. 7.

LIBELLI auctor, vt probet Venetos non peccaſſe, neq; nunc peccare ea faciendo, & ſtatuendo, quæ ſupra examinata ſunt, ea aſſumit, quæ notoriè falſiſſima ſunt, & tamen ea ita ponit, ac ſi diuina oracula eſſent.

Inprimis dicit Venetos, dum res huiusmodi faciunt, non facere contra vllam legem. At ſupra liquidiſſime mõſtratum fuit eos contra omnem humanam, & diuinam legem feciſſe.

Deinde dicit Venetos, dum res huiuſmodi faciunt, obſeruare legem. At ſupra oſtenſum eſt eos omnes leges peruertiſſe.

Deniq; dicit Venetos, dum hęc faciunt, retinere quod ſuum eſt. At ſupra clariſſime patefactum fuit eos inuaſiſſe aliena iura, & quos, tueri debuiſſent, iuribus ſuis nefariè ſpoliaſſe.

Adiungit harum trium rationum fundamentum eſſe quia nullus tenetur exiſtimare exemptionem clericorum, & bonorum eccleſiaſticorum eſſe de iure diuino. At hoc fundamentum ob multa capita nullum eſt. Primo quia rationibus efficacibus, quibus neq; libelli auctor, neq; alij illius ſimiles vnquam ſufficienter reſpõdebunt, probatum eſt clericos, & bona eccleſiaſtica eſſe de iure diuino à Principum ſecularium poteſtate exempta. Secundo quia etiamſi de ſolo iure humano exempti eſſent, tamen cum hoc ius Pontificium ſit. Principes ſeculares non poſſent eã exemptionem reuocare, quam ipſi non dediſſent, cum exem

ptio

ptio data à ſummo Pontifice proueniat ab ea auctoritate, quam illi Chriſtus ſupernaturaliter dedit, cum dixit, Paſce oues meas, &c. Tertio quia etiamſi exemptio huiuſmodi competeret de ſolo iure humano ciuili, tamen Principes eam reuocare non poſſent, quæ enim ab initio fuit liberalitatis, ex poſt facto eſt neceſſitatis, & præſertim Veneti, qui venerant in mundum poſtquam ea exemptio clericis, & rebus eccleſiaſticis data fuerat, & ita non poſſunt mutare illum rerum ſtatum, quem inuenerant. Quarto & vltimo fundamentum illud eruitur, quia etiamſi neq; diuino, neque humano Canonico, neq; humano ciuili iure exemptæ eſſet perſonæ & res eccleſiaſticæ, nihilominus ea ſtatuta ſuapte natura contraria ſunt iuri diuino, & naturali, quemadmodum ſupra ſigillatim probatum fuit. Atq; ideo nullo modo excuſari poſſunt Veneti, quin mortaliter peccarint ſtatuta illa condendo, & mortaliter peccent eadem ſtatuta non reuocando.

Quæ ſubiungit libelli auctor de doctrina S. Pauli, de opinione tot, & tam inſignium doctorum, quos ait tenere perſonas, & res eccleſiaſticas, non eſſe de iure diuino exẽptas, ea ſupra ſatis ſuperq; refutata ſunt, & oſtenſum diuũ Paulum non ſolum non docuiſſe clericos de iure diuino ſubiectos eſſe Principibus ſecularibus, quemadmodum illi imponit auctor, ſed è contrario præcepiſſe omnibus ſecularibus etiam Principibus. vt Præpoſitis ſuis obediant & illis ſubiaceant, quod certe nunquam pręcepiſſet, niſi eos Prępoſitis ſuis ſubiectos eſſe intellexiſſet, idque de iure diuino, cum poteſtas, quã eccleſiaſtici Præpoſiti habent, à ſolo Deo proueniat.

EXAMINATVR ET REFVTATVR SEPTIMA PROPOSITIO.

SEPTIMA Propoſitio virtualiter hæc eſt. Sententia excommunicationis, & interdicti à ſummo Pontifice contra Venetos & loca ſacra in ditione Venetorum promulgata nulla eſt & inualida duabus de cauſis.

Primo quia in huiuſmodi ſententia ferenda ſeruatus non fuit ordo præſcriptus à Canone de ſententia excommunicationis, in ſexto: quéadmodum ait legi in manifeſto.

Secundo quia de iure diuino excomunicatio non poteſt ferri, niſi ob contumaciam mortalem, Veneti autem neq; peccarunt condendo ea ſtatuta, quæ ſupra commemorata ſunt, neq; nunc peccant ea non reuocando, & non obediendo ſummo Pontifici, cum ſumus Pontifex non habeat auctoritaté imperandi Venetis in rebus ſimilibus.

De prima ratione mirum eſt, quomodo iſte homo tam promptus ſit ad allegandum Canones, quos vel nunquam legit, vel certe nunquam intellexit. Ex Monitorio enim ſummi Pontificis patet ea omnia obſeruata eſſe, quæ ſunt de forma ſubſtantiali excommunicationis. Quòd ſi libelli auctor prætendit aliquid omiſſum eſſe, debet illud in ſpecie exprimere, & oſtendere à ſummo Pontifice prætermiſſum eſſe, ſemper enim pro iudicum ſententijs præſumitur niſi vitioſæ eſſe oſtendantur, atq; ideo multo magis præſumetur pro ſententijs ſummi Pontificis, qui eſt iudicum iudex. Allegare autem manifeſtum Venetorum valde inſulſum eſt, & hoc auctore plane dignum.

Acce-

Accedit, quòd ſi aliquid eſſet de forma ſubſtantiali excommunicationis ſolum de iure poſitiuo, hoc ius non afficeret ſummum Pontificem, quemadmodum etiam pueris notum eſt.

De hac materia multò plura diſputabo in reſponſo ad libellum fratris Pauli, ex quibus, vt ſpero, idem frater intelliget non ſummum Pontificem in formando proceſſu cõtra Venetos erraſſe, quemadmodum ipſe contra veritatem ac præter omnes modeſtiæ leges aſſerit, ſed ipſummet fratrem Paulum in ea arte quam parum nouit, non parum hallucinatum eſſe.

De ſecunda ratione, videlicet, quòd Veneti non peccarunt condendo illa ſtatuta, & incarcerando clericos, neq; nunc peccent nõ obediendo ſummo Pontifici, qui illis iubet, vt ſtatuta illa reuocent, & clericos relaxent. Non eſt neceſſe ea repetere, quæ ſupra clariſſime probata ſunt, patet enim ſingula illa ſtatuta eſſe diuino, & naturali iuri contraria, idq; locum habere, etiamſi neq; perſonæ, neque res eccleſiaſticæ eſſent ab illorum iuriſdictione exemptæ, patet etiam eos ſummam impietatem contra Deum ipſum commiſiſſe, cum perſonas illas eccleſiaſticas in carcerem truſerunt, hæc omnia videlicet, non, ſicut ſolet facere libelli auctor, narrata ſunt, ſed ſigillatim, ac certis, & euidentibus rationibus oſtenſa fuerunt. Atq; ideo tota hæc ſeptima propoſitio cum duobus illis fundamentis, quibus nititur, ſublata fuit.

EXA-

EXAMINATVR, ET REFVTATVR OCTAVA PROPOSITIO.

OCTAVA & vltima propoſitio eſt. Quoniam cẽſuræ publicatæ à ſummo Pontifice, quẽadmodum dictum eſt, nullæ ſunt & inualidæ, cũ ſint quaſi quædam ſcriptura formata in aqua, aut in aëre, videlicet ſine fundamento, & ſine vlla re ſubiecta, obſeruari non debent, neq; quidquam illarum occaſione vel cauſſa in Eccleſijs innouari oportet.

Huius propoſitionis falſitas patet ex ijs, quæ ſupra cõtra 6. & 7. propoſitioné probata ſunt, ex illis enim conſtat cenſuras contra Venetos à ſummo Pontifice promulgatas validas, & ſanctas eſſe, quia latæ ſunt contra homines mortaliter contumaces præcedente legitima, & canonica monitione, vt conſtat ex ipſarum cenſurarum Monitorio. Et ideo ab omnibus Chriſti fidelibus in vtroq; foro obſeruari debẽt. Quare in hac ꝓpoſitione refutanda diutius nõ immorabor, tantũ lectoré admoneo, vt ea diligenter conſideret, quæ cõtra 6. ꝓpoſitionem ꝓbaui, inde n. videbit, quot & quãta peccata ꝑpetrarint Veneti, atq; ita facile iudicare poterit, vtrũ cenſuræ à Sanctiſ. Dño Nro cõtra illos ꝓmulgatæ ſint quędã quaſi ſcriptura formata in aqua, vel in aëre, hoc eſt ſine fundamento, & ſine vlla re ſubiecta.

Quoniã auté libelli auctor, vt iſtã ꝓpoſitionem ſuam in tuto collocaret, nõnulla cõtra eã argumẽta ꝓpoſuit, & ſuo modo diſſoluit, in ijſq; proponendis, & diſſoluendis ita ſe geſſit, vt ſuã nobis pietaté & eruditioné manifeſtã fecerit, optimũ factu iudicaui illa etiã argumẽta, & illas ſolutiones quam poſſum breuiſſime expendere,

Exami-

ui

Examinatur ſolutio primi argumenti contra propoſitionem propoſiti.

§. primus.

PRIMO igitur opponit textum in Cap. 1. 11. quæſt. 3. vbi habentur hæc verba: ſententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, timenda eſt. Reſpondet libelli auctor hunc textum locum habere, quando ſententia Paſtoris ſolum iniuſta eſt, non autem quando ſimul iniuſta & nulla eſt, ex Nauarr. in Manuali: Cap. 27. nu. 3. ac propterea concludit cenſuras à Sanctiſſ. Domino noſtro contra Venetos promulgatas non eſſe timendas, quia videlicet non modo iniuſtę, vt aſſerit, ſed etiam nullæ ſunt.

Ex hac ipſa auctoris reſponſione colligitur cenſuras timendas, & ſeruandas eſſe, quando iuſtæ, & validæ ſunt. Et ideo cum ſupra probauerim memoratas Sanctiſſimi Domini noſtri cenſuras eſſe iuſtas, ſanctas, & validas, cum latæ ſint contra homines mortaliter contumaces, per conſequens etiam probaui ab omnibus Chriſti fidelibus obſeruandas eſſe.

Examinatur ſolutio ſecundi argumenti contra eandem propoſitionem facti.

§. 2.

SECVNDO loco apponit auctoritatem Nauarri. dict. Cap. 27. nume. 3. verſ. fin: vbi ait excommúnicationis ſententiam, quamuis nulla ſit, nihilominus obligare excommunicatum ad ſeruandum eam, quo ad populus ſibi perſuadeat, aut debeat perſuadere cauſſas nullitatis ad euitandum ſcandalum.. Reſpondet Nauarrum ſuæ propoſitioni fauere, quia, vt ipſe ait, nullitatis cauſſæ manifeſtæ ſunt vniuerſo populo Veneto, & ſi alicui manifeſtæ non eſſent, debent fieri manifeſtæ per edictum Ducis, & propterea nullum ſubeſſe ſcandali periculum.

Quamuis videatur ſuperuacaneum hac de re amplius diſputare, cum luce meridiana clarius ſit cenſuras contra Venetos promulgatas iuſtiſſimas eſſe, nihilominus inutile non erit huius hominis inſcitiam & temeritatem conſiderare, etenim vult cauſſas nullitatis, ſi qua ineſſet, poſſe probari per edictum Ducis, qui eſt ipſemet Reus, quique eſt omnium maxime, ſi ita dici poteſt, excomunicatus. Quaſi incredibile ſit, qui iura Eccleſiaſtica inuadere, qui ſacerdotes Dei in carcerem trudere, quique multa alia peccata perpetrare non horruerit, hunc aliquid fingere, vt cauſſæ ſuæ patrocinaretur, auſum non fuiſſe. Hæc ſcilicet eſt illa doctrina, quam libelli auctor à diuina ſcriptura, à ſententijs, & expoſitionibus ſanctorum Patrum, & ab omnipotenti veritatis, & rationis virtute deſumpſit. Hunc igitur hominem

223

nem, omnes mundi Iudices, Magiſtratus, Officiales, ac Principes ipſi audiant, huic auſcultent, huius nouæ, & nunquam hactenus auditæ ſapientiæ obediant, & in poſterum cum ſententiam aliquam tulerint, eam ipſi Reo, contra quem pronunciarint, examinandam committant, & ſi Reus rem aliquam ſiue veram, ſiue falſam excogitare, & in ſcripturam redigere potuerit, ob quam dicat ſententiam contra ſe latam iniuſtam, nullam, in aqua, vel in aere fundatam eſſe, tunc demum ſententiam ſuam non ſolum à Reo ipſo, ſed etiam ab omnibus alijs hominibus floccipédi, ac peſſundari permittant, id enim cū facient, diuinæ ſcripturæ, ſententijs, & expoſitionibus ſanctorum Patrum, ac omnipotenti veritatis, & rationis virtuti obedient. O miſeros, o terque quaterque cæcos Venetos, qui eum potiſſimum cauſſæ ſuæ patronum, & defenſorem elegerint, qui Iudicum, Magiſtratuum, Officialium, atque adeo ipſorum Principum ſententias, decreta, & iudicia tanto deſpicatui duxerit, vt ea ita demum obſeruari voluerit, ſi illi, qui condemnati fuerint, nihil contra fingere, vel mentiri auſi ſint.

At inquiet quiſpiam Ducem Venetum non eſſe quendam priuatum hominem, qui ad mentiendum facile adduci poſſit, ſed eſſe Principem, eumq; valde inſignem, ac propterea flagitium huiuſmodi non eſſe in eius perſona credibile. Fateor eum eſſe Principem valde inſignem, & antequam creatus fuerit Princeps, fuiſſe ſenatorem valde egregium. Eum tamē multa finxiſſe, multaq; diſſimulaſſe, ne populos ſuos, qui diuina gratia veri Catholici ſunt, quiq; ſummo Pontifici in rebus ad diuinum cultū pertinentibus obediendū eſſe perſuaſū habent, cōtra ſe ipſum ac Rempublicā ſuā iſto ſuo ſedis Apoſtolicę contemptu concitaret, adeo notorium eſt, vt nulla tergiuerſatione occultari poſſit.

Hic

Hic tacere non poſſum ſingulare flagitium nuſquam, quod ſciam, niſi Venetijs ab hominum memoria perpetratum, quod quidem poſtquam hæc ſcripſeram ad meam notitiam venit. extiterunt igitur in illa tam ſancta, tam à mendacijs aliena ciuitate tres bibliopolæ, & librorum impreſſores, Ioannes Baptiſta Ciottus Senenſis. Ioañes Antonius, & Iacobus de Franciſcis, qui ex tomo quinto diſputat. de cenſuris, D. Franciſci Suarez Ieſuitæ, quẽ hoc ipſo anno milleſimo ſexcenteſimo ſexto impreſſerunt, multa fraudulenter adimere, illumque ſic mutilatè impreſſum euulgare præſumpſerunt, falſi crimen incurrendo. Nunc meũ non eſt explicare, quæ tanta cauſſa potuerit tres illos homines ad tantum ſcelus pertrahere, quamuis enim ex materia libri ab eis deprauati facile poſſet quis ſuſpicari hoc tã flagitioſum, tam nefarium ſcelus ſine ſcitu, conſenſu, atq; adeo impulſu ipſorum Venetorũ commiſſum non fuiſſe, ego tamen id interim affirmare nolo, atque alijs potius affirmandum, & ſcribendum relinquo. Tantum dico, niſi Veneti tres illos falſarios merito ſupplicio affecerint, & ſe ipſos culpæ affines, aut potius auctores demonſtrabunt, & quo minus omnes, qui in poſterum Venetijs à quocunque imprimentur, libri corruptionis, vel deprauationis ſuſpecti habeantur, recuſare non poterunt, eſt enim vulgata regula, ſemel malus, &c.

Exami-

224

Examinatur ſolutio tertij argumenti contra propoſitionem facti.

§. 3.

TERTIO loco contra propoſitionem argumentatur, quia ſi cẽſuræ à Sanctiſſimo Domino noſtro contra Venetos promulgatæ nullæ eſſent, & inualidæ, & earum nullitatis cauſſæ vniuerſo populo Veneto manifeſtæ eſſent, aut certe per ipſius Ducis Veneti edictum manifeſtæ fieri deberent, eę cenſuræ non adeo magni æſtimatæ fuiſſent, à tot, & tam ſanctis, & tam eruditis religioſis, qui è ſolo potius Veneto excedere, & in exilium ire, quam cenſuras illas, quemadmodum eis à Duce Veneto præcipiebatur, violare voluerunt non eſt enim credibile, immo abſolute fieri non poteſt, vt ſi qua nullitas in cenſuris memoratis ineſſet, eaque vniuerſo populo Veneto manifeſta eſſet, aut ſaltẽ manifeſta eſſe deberet, non pariter manifeſta, ac notoria eſſet viris cum aliarũ tum harum rerum cognitione præſtantibus.

Reſpondet libelli auctor Religioſos huiuſmodi, ſiue eorum error ex ſcientiæ imbecillitate, ſiue ex aliqua alia vitioſa animi affectione natus ſit, à ſe excuſari non poſſe, imò ait eos hac in re adeo grauiter peccaſſe, vt expediret, ſi ſuſpenderentur molæ aſinariæ in colla eorum, vt non ſcandalizarent puſillos iſtos &c.

Dubitauerat iſte homo, ne nõ ſatis notam nobis feciſſet impietatem, & hæreticam prauitatem ſuam dum Venetorum cauſſam cõtra omnes humanas, & diuinas leges defendendam ſuſceperat, atque ideo vt eam nobis illuſtriorem redderet, ſanctiſſimorum etiam virorum pietatem, &

religionem lacerandam ſibi exiſtimauit, qui omnibus humanis commodis priuari, & exules fieri, quam ſanctiſſimum ſummi Pontificis interdictum violare maluerunt. Horum igitur egregium facinus & ſingularem virtutem ita vituperat, & dilaniat homo peſſimus, vt ſe egregium, & ſingularem hæreticum eſſe apertiſſime oſtendat.

Primo enim probat eos peccaſſe, quia ſibi ipſi fuerunt lex, neque Principi contrarium illis præcipienti obedire, neque Eccleſiæ Cathedralis, neque omnium aliarum antiquiſſimarum, & ſanctiſſimarum Religionum, neque deniq; omnium Parochialium Eccleſiarum exemplum ſequi voluerunt.

Ex hac ratione multifariam multiſque modis colligitur hunc hominem eſſe hæreticũ valde peruerſum. Primo quia negat auctoritatem ſummi Pontificis. Secundo quia Principi ſeculari poteſtatẽ in rebus ſpiritualibus attribuit. Tertio quia eidem Principi ſeculari maiorem poteſtatem in rebus ſpiritualibus dat, quam ſum̃o Pontifici. Quarto, & vltimo, quia exemplum potius priuatarum Eccleſiarum, & Religionum, quam expreſſum ſummi Pontificis præceptũ ſequendum eſſe ſignificat, quæ omnia facillima ſunt ad probandum.

Quod enim ſummi Pontificis auctoritatem neget, patet quia ait Religioſos illos, qui ex Veneto ſolo potius diſcedere, quam cenſuras à Sanctiſſimo Domino noſtro promulgatas violare voluerunt, ſibi ipſis legem fuiſſe, his enim verbis ſignificat ſummum Pontificem nullam in rebus huiuſmodi præcipiendi auctoritatem habere, etenim ſi ſentiret in ſummo Pontifice præcipiendi auctoritatem ineſſe, nunquã dixiſſet tales Religioſos ſibi ipſis legem fuiſſe, non enim ſibi ipſis lex ſunt, qui Principis & ſuperioris ſui præceptum & legem ſequuntur. Religioſos autem illos ſummi Pon-

225

Pontificis præceptum, & legem ſequutos fuiſſe notorium eſt.

Quod autem Principi ſeculari poteſtatem in rebus ſpiritualibus attribuat, clarum eſt, nam vult eoſden Religioſos obligatos fuiſſe obedire Duci Veneto, qui illis, vt ſacramenta miniſtrarent, & diuina officia celebrarent, præcipiebat, atque adeo obligatos fuiſſe ad huiuſmodi obedientiam præſtandam, vt qui eam non præſtiterint, ſibi ipſis lex fuiſſe dicendi ſint. At in Religioſis hiſce non potuit eſſe obligatio ad obediendum, niſi in Duce fuerit auctoritas ad præcipiendum.

Porro quod Principi ſeculari maiorem in rebus ſpiritualibus auctoritatem det, quam ſummo Pontifici, conſtat, quia cum ſummus Pontifex illis Religioſis præciperet, vt à ſacramentorum adminiſtratione, & diuinorum officiorũ celebratione abſtinerent, econtrario autem Dux Venetus eiſdem Religioſis præciperet, vt ſacramenta miniſtrare, & diuina officia celebrare pergerét, libelli auctor ait Religioſos illos Duci Veneto obedire debuiſſe, & quia non obediuerunt, adeo grauiter peccaſſe, vt expediret, ſi ſuſpenderentur molæ aſinariæ in colla eorum &c. At ſemper cum duorum ſuperiorum præcepta concurrunt, illi obediendũ eſt, qui maiorem auctoritatem habet Quare ex iſta huius hominis ratione colligitur ſummum Pontificem ex eius opinione aut nullam penitus, aut certe minorem, quam Ducem Venetum iuriſdictionem in rebus ad diuinum cultum pertinentibus habere.

Deniq; quod exemplum potius priuatarũ eccleſiarũ, & Religionũ, quã expreſſum ſummi Pontificis præceptũ in rebus ad diuinũ cultũ pertinentibus ſequendũ eſſe ſignificet, adeo notoriũ eſt, vt nulla probatione indigeat. Porro quatuor hæc, quæ ex hac auctoris ratione deduci mõſtraui, non

modo falſi ſed hæretica etiam eſſe exploratum eſt, cum ſumi Pontificis auctoritatem negent. Ex quibus patet eos non decip quemadmodum libelli auctor affirmat, qui in hoc negoto non de ſolis moribus, & iuriſdictione, ſed etiam de fide tractari arbitrantur. Veneti enim cauſſam ſuam ita defendunt, vt multa contra fidem negent, & multa pariter contra fidem affirment. Neque id in hoc ſolum libello quem ſine auctoris nomine ediderunt, ſed in alijs etiam fecerunt, non ita pridem enim exiuit in lucem quidam libellus à ſeptem Theologis, inter quos ipſe quoque frater Paulus numeratur, compoſitus, & in nouem decim propoſitiones diuiſus, inter quos nonnullæ non modo falſæ ſed ſcandaloſæ etiam, & hæreticæ ſunt, & quod in Venetijs, qui ſe in populis gubernandis maxime omnium oculatos prædicant, non parum admirandum eſt, omni politico principatui maxime pernicioſæ. In libello etiam ipſius fratris Pauli aliquot loca ſunt, quæ niſi egregie dolentur, hæreſim plane ſapiunt. Immo quod dicit de poteſtate Pilati ſupra Chriſtum, & item de ſpiritu ſancto omnibus promiſſo & dato, videtur abſolute hæreticum, quemadmodum in meis cum ad hunc, tum ad ſuperiorem libellum reſponſis oſtenſurus ſum. Atque propterea, vt mea quidẽ fert opinio, non ſatis erit Venetos ſtatuta reuocare, & clericos, quos in carceribus detinent, liberare, ſed oportebit eas etiam hæreſes, quæ in his libelis cernuntur, abiurare, ſi abſolutionẽ à ſanctiſſimo obtinere volent. ſed iam ad reliqua examinãda pergamus, quæ libelli auctor contra eos Religioſos, qui interdictum Eccleſiaſticum ſeruare voluerunt, proponit.

Secundo loco igitur probat illos peccaſſe hoc modo. Defenſio libertatis Principis ſui naturalis, qui defendit, & conſeruat in populo pacem, libertatẽ, & Religionẽ, eſt de iure naturæ, videlicet diuino, ſententiæ autẽ Eccleſiaſticæ

ſunt

ſunt de iure poſitiuo,qnod quidem ius poſitiuum debet cedere illi naturali,multo magis quando conſtat de nullitate.

Niſi aliquid me fallit,hic auctor vult innuere eos Religioſos ideo peccaſſe,quia tranſgreſſi fuerunt præceptum legis naturalis,qua iubetur vnicuique, vt ſui Principis naturalis libertatem tueatur,vt obſeruarent ſententiā interdicti eccleſiaſtici, quod eſt de iure poſitiuo. huius argumenti primo examinabo formam,deinde examinabo materiam.

Quod ad formam attinet, exiſtimo argumentum hoc duobus ſyllogiſmis explicari oportere,quorum primus ſic ſe habet. Defenſio libertatis ſui Principis naturalis eſt anteponenda rebus ijs,quæ ſunt de iure poſitiuo. Sententiæ eccleſiaſticę ſunt de iure poſitiuo,ergo defenſio libertatis ſui Principis naturalis eſt anteponenda ſententijs eccleſiaſticis. Secundum ſyllogiſmum autem, per quem videlicet maior huius primi probabitur,ita explicari oportebit.Oīs res,quę eſt de iure naturali,eſt anteponenda reb⁹,quæ ſunt de iure poſitiuo. Defenſio libertatis ſui Principis naturalis eſt de iure naturali. Ergo.&ç. Atq; hoc modo medius terminus primi ſyllogiſmi eſt,res quæ ſunt de iure poſitiuo, medius terminus autem ſecundi ſyllogiſmi eſt, res quæ eſt de iure naturali.

His ita poſitis dico primum ſyllogiſmum aut conſtare ex quatuor terminis, quod eſt maximum argumentandi vitium,aut certè conſtare ex minore, ſeu aſſumptione falſa,hoc loco enim minorem eam appello,quæ ſecundo loco ponitur.Quod igitur aut aſſumptio falſa ſit,aut ſyllogiſmus conſtet ex quatuor terminis,probo.quando enim dicit ſentētias eccleſiaſticas eſſe de iure poſitiuo, aut per ſententias eccleſiaſticas intelligit ipſam obſeruationem ſen-

tentiarum eccleſiaſticarum,adeo vt ſenſus ſit homines de ſolo iure humano teneri obſeruare ſententias eccleſiaſticas. Aut per ſententias eccleſiaſticas intelligit ipſam rem eccleſiaſticis ſententijs definitam adeo, vt ſenſus ſit,rem eccleſiaſtica ſententia definitã,eſſe definitã à iure poſitiuo. Si primo modo intellexit aſſumptio falſa eſt,etenim hõies de iure naturali diuino tenẽtur obſeruare ſententias eccleſiaſticas,quod quidem diuinum ius naturale habetur in 4. præcepto Decalogi ex Nauar.in ſumma.cap.14,n.3.verſ.ſecundario autem:& n.4 vbi habentur hæc verba : Quinto præſupponimus,quòd honor,de quo præceptum hoc loquitur,in tribus conſiſtit,videlicet in amando, obediendo & honorando tã corde,quam verbo,& opere,&c. & n. 22. §. penult.& vlt.Idem etiam probatur ex ipſomet libelli auctore,in hoc loco,etenim ait defenſionẽ ſui Principis naturalis eſſe de iure naturali. At defenſio huiuſmodi cõſiſtit potiſſimũ in defendenda auctoritate & iuriſdictione Principis,& per conſequens in obſeruatione ſententiarum , & præceptorum eiuſdem Principis,implicat enim contradictionem ſi quis dicat auctoritatem, & iuriſdictionem Principis defendi,& nihilominus eius ſententias,& præcepta contemni. At ſummus Pontifex, quantum attinet ad res ſpirituales & eccleſiaſticas Princeps eſt in toto orbe Chriſtiano,idq; de iure diuino.Ergo omnes Chriſtiani eius ſententias,& præcepta de iure diuino , & naturali ſeruare tenentur.

Si autem per ſententiam eccleſiaſticam intelligit rem ipſam eccleſiaſtica ſententia definitam. Aſſumptio illa vera eſſe poteſt, quando videlicet per ſententiam ius nouum conſtituitur,non autẽ ius naturale,quod ſæpe fit,ſeruari mandatur. Sed ſyllogiſmus conſtat ex quatuor terminis.patet,quia cum velit probare libertatem potius Princi-

pis

pis naturalis, quã ſententias eccleſiaſticas defendi debere, neceſſario ſequitur auctorem libelli vocabulo ſententiæ eccleſiaſticæ in concluſione ſignificaſſe ipſam eccleſiaſticæ ſententiæ obſeruationem, aliter enim concluſio non eſſet ad propoſitum, cum ex opinione auctoris huius libelli quæſtio fuerit, vtrum Religioſi illi debuerint potius libertatem ſui Principis naturalis defendere, an ſententiam interdicti eccleſiaſtici obſeruare. Hic autem dicimus, quod eodem vocabulo in aſſumptione ſignificata fuit res ipſa per eccleſiaſticam ſententiam definita, quia videlicet aliter ipſa aſſumptio falſa eſſet. Quare in ſyllogiſmo inſunt quatuor termini, qui ſunt hi: primus eſt: res quæ ſunt de iure poſitiuo, qui eſt medius terminus. Secundus terminus eſt. Defenſio libertatis ſui Principis naturalis. qui eſt ſubiectum in maiore propoſitione. Tertius terminus eſt, res eccleſiaſtica ſententia definita, qui eſt ſubiectum in minore propoſitione. Quartus & vltimus terminus eſt, obſeruatio eccleſiaſticæ ſententiæ: qui eſt prædicatum in concluſione.

De materia autem eiuſdem ſyllogiſmi conſiderandũ eſt, quòd libelli auctor ſupponit. Primo hic tractari de defendenda, vel opprimenda libertate Ducis Veneti. Secundo Ducem Venetum conſeruare pacem in populo. Tertio Ducẽ Venetum conſeruare libertatem in populo. Quarto deniq; eundem Ducem Venetum conſeruare Religionẽ in populo. Ex tribus igitur vltimis ſuppoſitis vult inferre libelli auctor omnes clericos, & Religioſos dominij Veneti teneri, & obligatos eſſe vicem Veneto Duci rependere, eiuſq; ſalutem, libertatem, ac dignitatem tueri, & pro viribus defendere. Ac propterea, cum iuxta primum ſuppoſitum, nunc eiuſdem Ducis libertas in diſcrimen vocetur, eoſdem Religioſos, & clericos debere ꝓ virili ipſum

Ducem adiuuare. Hæc igitur quatuor, quæ à libelli auctore pro veris ſupponuntur, examinari oportet.

Ac primum quidem ſuppoſitum falſiſſimum eſſe cópertum eſt. Nam Principum libertas in eo poſita eſt, vt populos ſuos ad communem illorum vtilitatem regant, & gubernent, in quo Veneti neq; à ſummo Pontifice, neque ab vllo mortali vel minima ex parte impediuntur. Non autem in eo poſita eſt, vt Eccleſias ſuis iuribus ſpolient, téplorum ad Dei cultum ædificationem prohibeant, clericos non modo deterioris conditionis, quam laicos, efficiant, ſed etiam in carceres trudant, &, ſi ita Deo placuerit, occidant, & iugulent, hæc enim nefaria quædam ſcelera ſunt, ad quæ nullius hominis libertas ſe extendere poteſt, & à quibus illorum audacia per ſummum Pontificem, cui hoc munus à Deo datum eſt, coerceri debet, & qui ſummo Pontifici Venetos ab huiuſmodi ſceleribus coercenti reſiſtit, diuinam ſummi Pontificis libertatem quodámodo opprimit, quemadmodum ſi Veneti ipſi alicuius ſubditi ſui ſcelera coercere vellent, ſi quis illis talem coercitionem cohibentibus reſiſteret, humanam illorum libertatem quodammodo opprimeret.

De ſecundo autem, & tertio ſuppoſito nihil pro nunc dicam niſi quod etiamſi vera eſſent duo illa ſuppoſita, atque ideo clerici, & alij Religioſi tenerentur ipſum Ducem adiuuare, quando ab alijs inuaditur, non tamen ideo infertur, quòd ijdem Clerici, & Religioſi tenerentur ipſi Duci aſſiſtere, quando ipſorummet Clericorum, & Religioſorũ iura inuadit, eorumq; libertatem, & vitam violare, atque opprimere contendit. aliud eſt enim teneri, Ducé aduerſus eius oppreſſores adiuuare, aliud teneri, Duci alios opprimenti auxilium præbere. Immo, vt verius, & rectius loquar, longe aliud eſt clericos, & Religioſos teneri, & obligatos

228

gatos eſſe Ducem Venetum, cum ab alijs opprimitur, adiuuare, aliud eoſdem Clericos & Religioſos teneri, & obligatos eſſe eidem Duci, dum ipſoſmet Clericos & Religioſos opprimere contendit, auxilium ferre. Vt enim illud primum aliquo modo permitti poſſit, hoc ſecundum certè inauditum eſt, atq; omni humano, diuino, & naturali iuri penitus contrarium.

Quartum deniq; ſuppoſitum falſiſſimum eſt: cura enim, & cuſtodia, & defenſio Religionis vni ſummo Pontifici ab immortali Deo commiſſa fuit. Et ideo qui clericos & laicos à ſummi Pontificis obedientia auertunt, quod nunc faciunt Veneti, ij Religionem non conſeruare, ſed penitus euertere dicendi ſunt, quemadmodum ſi quis Venetiarum ſubditus Magiſtratus, & alios Miniſtros Ducis Veneti ab ipſius Ducis Veneti obedientia abſtraheret, eoſque ſibi potius, quam Duci Veneto obedire compelleret, is profectò ſubditus non diceretur pacem & illud cum dignitate otium, quòd Principes ſeculares propoſitum habent, in populo conſeruare, ſed euertere, populoſq; & magiſtratus ad rebellionem traducere. Et certe valde vereor, ne etiã hoc loco hæreticus huius hominis animus detegatur. Etenim dicere Principi ſeculari contra ſummum Pontificem in rebus ad diuinum cultum pertinentibus adhærendum eſſe, idq; ob eam cauſſam, quòd Princeps ipſe ſecularis Religionem tueatur in populo, nihil aliud eſſe videtur, quam ſummo Pontifici ſpiritualem poteſtatem adimere, eandemque Principi ſeculari tradere, quam eſſe hæreſim nemo eſt, qui ignoret.

Examinatur ſolutio quarti argumenti contra propoſitionem facti.

§. 4.

QVARTO loco argumentatur libelli auctor contra ſuam propoſitionem, quia ſi excommunicationis & interdicti ſententia à Sanctiſ. Domino noſtro contra Venetos promulgata, nulla eſſet, & inualida, illiuſq; nullitas, & inualiditas adeo nota eſſet, vt vniuerſo populo Veneto conſtaret, aut certe per ipſius Ducis Veneti manifeſtum conſtare deberet, non opus fuiſſet vt Domini Veneti præciperent ſub pœna amiſſionis vitæ, vt Religioſi omnes haberent Eccleſias apertas, & pergerent miſſas, & alia diuina officia celebrare, quemadmodum ante ſententiæ huiuſmodi promulgationem facere ſolebant. At Veneti tale præceptum ſub tali pœna fecerunt. Ergo ſignificarunt prædictam nullitatem neque ipſam per ſe notoriam eſſe, neq; per ſui ducis edictum notoriam fieri poſſe.

Ad hoc argumentum reſpondet idem libelli auctor, hoc præceptum ſub tali pœna factum fuiſſe ab ipſis Venetis, nõ quia timuerint ne illi qui ſunt bene erga Venetos animati, quiq; ſciunt, & ſequuntur veram doctrinam, qui ſunt, vt ipſe ait, quaſi omnes, aliud facturi eſſent, quã quod fecerunt, pergentes celebrare, & exercere diuina Miniſteria, ſed ne diuina officia ob inanem timorem ab aliquo intermitterentur in ea ciuitate, quæ ſemper fuit Catholica, & nunc maxime ſe talẽ eſſe profitetur, ac propterea pati non vult, vt in muneribus pietatis vlla cer-

natur

229

natur mutatio, neq; vt illorum intermiſſio aliquibus ruinæ occaſionem præbeat, cui malo ipſe Princeps de iure diuino, atq; ipſiuſmet Eccleſiæ cauſſâ tenetur quocunq; modo occurrere.

Non eſt multum immorandum in refutatione huius reſponſionis. Nam inprimis ſupra oſtenſum fuit doctrinam huius auctoris, quam ipſe veram putat, eſſe quaſi totam falſam, & magna in parte hæreticam. Deinde quatenus dicit ferè omnes Religioſos, qui in ſtatu Veneto habitabant, ſciuiſſe, & ſecutos eſſe iſtam ipſius auctoris libelli doctrinam, patet hoc eſſe falſiſſimum, nam primo quatuor integræ Religiones, quarum vna numero Religioſorum, & Monaſteriorum omnes alias ſuperat, vitæ autem ſanctitate & eruditione tam ipſa, quã aliæ tres ſi non ſuperant, certe æquant, iſtam huius hominis doctrinam adeo abominabilem eſſe cognouerunt, vt ex Veneto potius ſolo rebus omnibus ſuis poſthabitis excedere, quam peſtiferam iſtam doctrinam ſequi voluerint. Deinde illi etiam Religioſi, qui tam expediti non fuerunt ad fugiendum, cum poſtea vellent ipſi quoq; fugere, à Venetis per vim retenti ſunt, legi enim quaſdam literas cuiuſdam Religioſi Brixienſis Pragam tranſmiſſas, quibus ſignificabat Venetos ſub acerbiſſimis pœnis prohibuiſſe, ne vlli Religioſi exirent è portis ciuitatis, niſi haberent licentiã impreſſam ac fideiuſſorem darent de reuertendo. Et ſub eiſdem etiam pœnis prohibuiſſe, ne vlli Religioſi habitum ſecularem induerent, quia videlicet aliqui ſub tali habitu fugerant. Et pariter Magiſtro Poſtæ ſub maximis pœnis prohibuiſſe, ne vllas literas, quæ ad Religioſos ſcriptæ eſſent, ad illorum manus peruenire ſineret, niſi prius quibuſdam officialibus ad hunc effectum per Venetos deputatis eas conſignaſſet. Tandẽ addit miſeros clericos &

& Religioſos illius ciuitatis perinde à Venetis tractari, vt ſibi videre videatur imaginem illius acerbiſſimæ perſecutionis, quam Diocletiano imperante Eccleſia Dei paſſa fuit.

Dicat modo iſte aſſertus Theologus ad mentiendum, & ad ſeducendum populos natus, iſtam ſuam peruerſam, & hæreticam doctrinam ferè omnibus ditionis Venetæ Religioſis probatam fuiſſe, & ferè omnes ſponte ſua paratos fuiſſe ad violandum interdictum eccleſiaſticum à Sanctiſ. Dño Nr̃o promulgatum.

Tertio quatenus ait Venetos idcirco noluiſſe, interdictum eccleſiaſticum ſeruari, quia noluerunt diuina officia intermitti in illa ſua ciuitate, quæ ſemper Catholica fuit, & nunc maxime ſe talẽ eſſe profitetur, &c. adeo peruerſe loquitur, vt nihil magis. interdicta enim eccleſiaſtica in ſolis Catholicis ciuitatibus ſeruantur, in ſchiſmaticis autem, & hæreticis violantur. Dixit Deus, Obedientiam volo & non ſacrificium.

Deniq; quæ addit de ſalute quorundam à Principe Veneto per hanc interdicti violationem conſeruata, eiuſdem generis ſunt, cuius ſuperiora.

Operis

Operis concluſio à Venetis conſideranda.

PRo fine, & concluſione huius meæ reſponſionis cupio Venetos conſiderare illam Regulam Dialecticæ, quæ adeo certa, & infallibilis eſt, vt ab orbe condito nulla vnquam illius exceptio cognita fuerit. Regula autem eſt hæc. Omnis concluſio vera poteſt deduci ex præmiſſis, & principijs veris. Cùm igitur hanc Regulam ſibi ante oculos mentis propoſuerint, tunc eam ſuæ cauſſæ applicent, ac dicant intra ſe. Nos Veneti dicimus ſtatuta à nobis facta, & à ſummo Pontifice tanquam iniuſta reprehenſa, eſſe iuſta. dicimus nos poſſe iure noſtro eccleſiaſticas perſonas in carcerem mittere. Dicimus ſententiam excommunicationis contra nos latam eſſe iniuſtã & inualidam. Dicimus ſententiam interdicti contra noſtrum ſtatum promulgatam eſſe iniuſtam & inualidam. Poſtquam hæc ſecum ipſi locuti fuerint, cogitent ſe dediſſe has quatuor concluſiones multis Theologis partim nominatis, partim innominatis, vt eas concluſiones probarent, & ex ſuis principijs deducerent. Cogitent etiam iſtos ſuos Theologos tanti ab illis fieri, vt Antonius Quirinus, ſenator Venetus in ſuo libello, quem ad eiuſdem cauſſæ defenſionem edidit, pag. 52. dixerit eos non ſolũ adeptos eſſe eam ſcientiam, ad quam homines poſſunt per diſcurſum humanum peruenire, ſed etiam per longam Regiminum publicorum experientiam conſecutos fuiſſe quandã aliam longe præſtantiorem, & abſolutiorem rerum huiuſmodi cognitionem, quam ipſe Senator ipſarum legum & iudiciorum Architectonicam appellat.

Poſtquam autem hæc cogitauerint, tunc animos ſuos conuertant ad examinanda ea principia, ex quibus omnes illorum Theologi nominati, & innominati dedu-

xerunt quatuor illas concluſiones, quas Veneti dicunt eſſe veras, ſummus autem Pontifex dicit eſſe falſas, & ſi viderint eos probaſſe dictas ſuas concluſiones per principia vera, tunc bene ſperent à Deo, & ab hominibus, & præſertim à ſummo Pontifice Patre & Paſtore ſuo. ſin contra viderint eoſdem Theologos, dum omnibus ſuis viribus contendunt ſatisfacere deſiderio ipſorum Venetorum, & dum omnes ingeniorum ſuorum facultates, & opes, quas ipſi Veneti confitentur eſſe maximas, expromunt, vt eorundem Venetorum cauſſam defendant, eoſdem, inquam, Theologos non potuiſſe dictas concluſiones deducere niſi ex principijs magna ex parte falſis, & non parua ex parte hæreticis: tunc cogitent ſe eſſe Chriſtianos, & Chriſtianorum munus eſſe, poſtquam errores ſuos cognouerint, eos emendare ſponte, neque, vt ab alijs admoneantur expectare.

His ita digeſtis facile erit videre iſtos Theologos omnes ex principijs falſis, & magna ex parte hæreticis cõcluſiones illas quatuor deduxiſſe, nam quod attinet ad hũc Theologum innominatum, ego, vt ſpero, ſatis hoc demonſtraui, & volo etiam pro nunc breuiter idem de ſeptem illis Theologis, qui à Senatore Quirino tantopere laudati fuerunt, demonſtrare.

Sciendum igitur eſt ſeptem illos Theologos non totã Venetorum cauſſam defendendam ſuſcepiſſe, ſed ſolam partem, videlicet duo puncta, quorum primum eſt, quia ipſi probare conantur perſonas Eccleſiaſticas neque debuiſſe, neque potuiſſe ſeruare interdictum Eccleſiaſticum ſine peccato. Alterum punctum eſt, quia ipſi probare conãtur Venetos potuiſſe, ac debuiſſe prohibere tanquam ad propriam defenſionem interdicti Eccleſiaſtici obſeruationẽ. Porro dictorum duorum punctorum tractationem in nouende-

uendecim propoſitiones diſtribuerunt, quarum nonnullę adeo peruerſæ & peſtiferę ſunt, vt Theologi illi non Venetæ cauſſæ patroni ſed meri præuaricatores exiſtimari iure optimo poſſint, earum enim doctrina non modo falſa, ſcādaloſa, & hæretica eſt, ſed etiam eſt cū omni politico principatui, tū in primis dominio Veneto maxime pernicioſa, quod vt clarum fiat, placet tres illarum propoſitionū ſubijcere. Duodecima igitur propoſitio eſt, Chriſtianus tenetur ſub pœna peccati mortalis examinare præceptū ſui ſuperioris anteq̃ illi obediat, etiāſi ille ſuperior ſit ſum̄us Pōtifex.

Decima tertia propoſitio eſt. Non ſatis eſt Chriſtiano pro vitando peccato, ſi eius ſuperior dicat ſuum præceptū eſſe iuſtum, ſed debet omnino examinare illud.

Decima quarta propoſitio eſt, ſi Chriſtianus ipſe ſolus non poſſit decernere, vtrū præceptum ſui ſuperioris ſit bonum, & iuſtū, tenetur conſulere alios, quos ipſe iudicet habere ſcientiam, & conſcientiam bonam, & eſſe bene affectos ad ipſius conſulentis ſuperiorem.

Et quamuis decima tertia propoſitio loquatur in ſpecie de ſum̄o Pontifice, & decima quarta de ſede Apoſtolica, tamen illarum doctrina & fundamenta ſunt generalia in omni ſuperiore.

Quod igitur tres hæ propoſitiones ſcandaloſæ ſint, & hæreticæ, alibi Deo dante probabo. Quod autem omni politico Principatui, & præſertim dominio Veneto pernicioſæ ſint, nunc patefaciam, id enim ſatis eſt ad probandum Theologos illos proceſſiſſe per principia falſa. Fingo igitur Venetos iubere, id quod non raro faciunt, alicui populo ſuo, vt certum remigum numerum ad inſtruendam claſſem det. Si igitur hoc præcepto facto populus ille eruditus ab aduocatis Venetorum dixerit. Magnifici Domini expectate tantiſper, dum præ-

ceptum

ceptum veſtrũ examinemus, ſcitis enim, & à veſtris Theologis didiciſtis ſubditos non poſſe ſine peccato obedire præcepto ſui ſuperioris, niſi prius illud examinent, hæc eſt enim doctrina duodecimæ propoſitionis illius aurei libelli, quem pro veſtra defenſione contra ſummum Pontificé edidiſtis. Quæro ergo quid in hoc caſu facturi ſint Veneti: conceſſuri ne ſint dilationem ad examinandum ſuum præceptum, an denegaturi: ſiue enim conceſſerint, ſiue denegauerint, in maximas atque inexplicabiles difficultates, & anguſtias incurrent. Si enim conceſſerint, in primis neceſſarium erit, vt omnia ſua intima conſilia eidem populo reuelent, aliter enim fieri non poteſt, vt populus ille bonum & ſincerum iudicium de ſui Principis præcepto faciat. Solent enim Veneti ipſi in huius ſuæ cauſſæ defenſione ſæpius dicere ſummum Pontificem non fuiſſe de omnibus circumſtantijs ſuarum legum, & iudiciorum bene informatũ, & propterea non potuiſſe bene de illis iudicare. nolo dicere, quam hoc verum ſit in ſummo Pontifice, ſolummodo doctrinam illorum, quæ abſque dubio vera eſt, accipio, & eam ad practicã per ipſoſmet Venetos reduci cupio. Quid igitur? reuelabunt Veneti omnia ſua intima conſilia omnibus ſuis ſubditis, an non reuelabunt? Si non reuelabunt iniuriam illis facient recuſando ea reuelare, quæ reuelare tenentur, fieri enim non poteſt, vt ſubditi teneantur examinare præcepta Principum, & Principes ipſi non teneantur intimas præceptorum ſuorum circumſtantias ſubditis reuelare, tali autem iniuria facta ſubditi habebunt iuſtã, & legitimam cauſſam ab illorum obedientia recedendi, &, ſi ita opus fuerit, ad arma, & auxilia externorum Principũ confugiendi iuxta doctrinã decimæ octauæ propoſitionis eiuſdé libelli. Si autem Veneti reuelabũt dicta intima cõſilia, immortalé Deũ, quid erit de illis, quomodo poterunt

vllam

vllam vnquam rem ad bonum finem perducere? cognitis enim illorum Cõſilijs, facillimum erit illa impedire. Deinde ſi dictam dilationem Veneti ſubditis ſuis conceſſerint, eaque illis reuelauerint, quorum cognitio neceſſaria eſt ad faciendum rectum, & ſincerum iudicium de Principis præcepto. Quæro quid facturi ſint ijdem Veneti: caſu, quo illorum ſubditi cognitis cognoſcendis, & examinatis examinandis iudicent ipſorum Venetorum præceptum iniuſtũ eſſe, & indignum cui obediant, & ita reſpondeant ſe nolle obedire, compellentne ipſos ſubditos obedire, an nõ compellent? ſi compellent, ſubditi ponent in practica doctrinam decimæ octauæ propoſitionis, de qua ſupra. ſi non compellent, iam Veneti ipſi de dominis efficientur ſerui, & illorum dominium conuertetur in ſeruitium. Quod ſi memoratam dilationem ſubditis ſuis denegabunt, in eaſdem anguſtias recurrent, denegando enim ſuis ſubditis facultatem examinandi ſua præcepta iniuriam illis facient, & ita rebelliones, & bella excitabunt.

Neque dicere poſſunt Domini Veneti doctrinam illarum propoſitionum locum habere in pręceptis ſuperiorum eccleſiaſticorum, & ſummi Pontificis, non autem habere locum in præceptis Principum ſecularium. Non inquam, id dicere poſſunt, quia fieri non poteſt, vt ſubditi teneantur examinare præcepta ſummi Pontificis, & non teneantur examinare præcepta Principis ſecularis, nõ minus enim fieri poteſt, vt præceptum Principis ſecularis cõtineat peccatum, quam fieri poteſt, vt præceptum ſummi Pontificis peccatum cõtineat, ac propterea ſi ob hanc cauſſam examinari debet præceptum ſummi Põtificis, ob eandem examinari oportebit præceptum Principis ſecularis.

Hæc pro nunc breuiter de harum propoſitionum falſitate dicta ſint, quæ ſi Deus dederit, multo fuſius in reſponſione ad ipſum ſeptem Theologorum libellum pertractabo.

Illud ſolum hic adiungam, quod Veneti fortaſſe dicent rationes, quibus probantur illæ tres propoſitiones, videri ſatis vrgentes, cum enim ſummus Pontifex, atque omnis alius Princeps errare poſſit in ſuis præceptis particularibus &c. Ego in eadem reſponſione etiam ad hoc argumentum reſpondebo, atque ita quidem reſpondebo, vt omnes, quemadmodum ſpero, viſuri ſint ſeptem illos Theologos in re valde clara maxime hallucinatos eſſe. Interim tamen ſciant Veneti illi argumentum, inde natum eſſe, quia Theologi illud ignorarunt, quæ differentia ſit inter dubium practicum, & dubium ſpeculatiuum. quare poterunt Veneti etiam interim vel ab alijs Theologis ſe de hac veritate informare, vel committere illis eiſdem ſeptem, vt rem hãc diligentius conſiderent, & ſibi naturam dubij practici, & dubij ſpeculatiui declarent. Videbunt profecto Veneti, ſi hanc commiſſionem dederint, illos ſuos ſeptem Theologos nondum adeptos eſſe non modo illam perfectam, & abſolutam cognitionem, quam Senator Quirinus ipſarum legum, & Iudiciorum architectonicam appellat, ſed ne illam quidem, ad quam multi etiam mediocris ingenij homines ſine vlla diuturna experientia perueniunt.

In libello etiam fratris Pauli Seruitæ multa falſa ſunt, & nonnulla etiam hæretica, nam quod dicit de poteſtate Pilati ſupra Chriſtum eſt abſolutè hæreticum, & pro hæretico iamdudum ab Eccleſia damnatum, de alijs autem falſis patebit Deo dante in meo reſponſo ad illum libellum.

In libello deniq; ipſius Senatoris Quirini, inprimis multa prætermiſit, in quibus ſe remittit ad libellos ſeptem Theologorum, & fratris Pauli, & ita illorum errores pro-bare videtur, deinde ipſe quoq; multa falſa habet, & multa vera tacet. Nam primo pag. 15. tacite ſaltem ſignificat, eccleſiam vel per vim, vel per fraudem vſurpare bona ſecu-larium, quod eſt falſiſſimum, & impium, deinde pag. 33. dicit Scipionem Saracenum fuiſſe etiam accuſatum, quòd laceraſſet ex nonnullis locis mandata, & reſcripta publicorum officialium, in quibus erat impreſſum ſi-gillum ſancti Marci, &c. & tacet quòd iſta mandata affixa fuiſſent ab officialibus ſecularibus ſupra Cancellariam epiſcopalem ſede vacante, &c. quod tamen tacitum non fuit à fratre Paulo in ſuo libello pag. *6:* & idem Quirinus pag. 37. dicit, quòd ex quo Eccleſia perſonas eccleſiaſti-cas peccatrices aliquando brachio ſeculari puniendas committit, ſatis clare colligitur huiuſmodi punitionem pertinere de iure ad Principem ſecularem, non autem ad Principem eccleſiaſticum, quod non modo falſum eſt, ſed etiam vel hæreticum, vel certe ab hæreſi non lon-ge remotum; cum Eccleſia duplicem gladium habeat. Non recenſebo alia, quia, vt dixi, ille Senator non ſu-ſcepit integram cauſſæ Venetæ defenſionem, ſed in mul-tis ſe remittit ad libellos ſupra memoratos.

Si ergo Veneti voluerint de his rebus iudicare eo modo, quo dicunt ab alijs iudicari oportere, & vere dicunt, videlicet ſine animi paſſione & perturba-tione, faciliſſime cognoſcent illas quatuor concluſio-nes, quas ipſi veras putant, eſſe falſas, cum enim eos probandas ſuſceperint multi Theologi, ijq; vt ipſi-met Veneti confitentur, doctiſſimi, & nullus ex illis po-

T 2 tue-

tuerit eas deducere, niſi procedendo per principia falſa & hæretica, ſequitur eas nõ eſſe vllo modo veras, atq; ideo Venetos, ſi volunt illam maiorum ſuorum laudem conſeruare, debere ea emendare in quibus errarunt. Quod ſi facient, multorum animos, & pennas ad eorum pietatem, Religionem, & prudentiam laudandam excitabunt.

Laus Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini.

Cum facultate Superiorum.